



V
B
J
C

LRO

Alb. Stanislaus
Radziwill
auctor hujus Libelli
cf. Jocher, III, p. 48 N: 6032 a. p. n.
Ex catal: Lib: B. Lau.
flori: o Tchorzowski




INRI
HISTORIA
PASSIONIS CHRISTI
Punctatim
Animæ deuotæ
Per tres Libros et capita
exposita.
M. S.
G.



Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem, vt nè fatigemini, animis veſtris deficientes.

Epiſt: ad Hæbr: c. 12.



ILLVSTRISSIMO
S. R. I. PRINCIPI,
DOMINO
D. ALBERTO STANISLAO RADZIWIŁ,
Duci in Olyká & Nieśwież
M.D.L. CANCELLARIO,
Pinscensi, Mæuensi, Caunensi,
Tuchol: Gieranon: &c,
CAPITANEO.

D. Patrono Colendissimo.



Ersanti mihi diuersos manu codices, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, *obuenit vnus stilo non inelegan-*

ti conſcriptus, obiecto quod tractat ſublimis, Regem quippè Regum, probroſam mortem paſſũ, Unigenitum Æterni Patris, immanè Cruci confixum repræſentat. Equidem indolui tam pretioſum margaritum, Diuino Cruore purpuratum, deliteſcere hominibus ignotum; eruendum ergò è tenebris, in lucem emittendum, Orbi proponendum omninò cenſui. Dumque circumſpicio, cuinam Viro Opus hoc pium conſecrem, cuius Glorioſum Nomen fronti eius inſcribam, AQVILA Tua Nobiliſſima, oculis meis obuolitans,

Tuam

Tuam mihi Personam, aliis pãnsis indigitat, Auitâ pietate Illustrissimam, Virtute clarissimã, rerum gestarum pondere pro DEO, *Ecclesia, & Patria, Orbi notissimam. Non ignoro perennem in mentis Tuæ penetralibus* CHRISTI *passi, vigere memoriam, quam non publicorum moles negotiorum, non cura domesticorum, impedire potest; nullus itinerum labor, ab oculis Tuis,* CHRISTI *Cruci confixi effigiem, valet amouere; in cuius sacris Vulneribus, quietum receptaculum, amœnum hospitium Tibi comparasti. Se-*

curus

curus itaq; Codicem hunc, morte CHRISTI *nobilem, Sanguine eius cruentatum, Tibi consecro.* AQVILA *Tua illum, pernici volatu per Orbem sparget Europæum; vt omnes qui Filium* DEI *pro salute sua profitentur Crucifixum, hoc Codice lecto, Nomine Tuo insignito, nouis eundem sibi concilient obsequijs.*

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Cliens humillimus

PETRVS ELERT
S. R. M. Typographus.



JESVS.

Instruit Euangeliũ, Salutaris Vitæ Semitã
In Ecclesia Summa Veritas Sapientiæ.
Inenarrabili Exulto Spe Videndi Saluatorẽ
Innumeri Electi Sanguine Vnigeniti Saluãtur
Infelix Exul Societatem Volo Sanctorum
Ignis Et Sulphur Vret Scelestos,
Intelligenda Est Spernendaq; Vanitas Seculi
Iudiciũ Exterminabit, Seuerè, Vulcano, Scã:
Intrinseca Eclipsis Sublato Vero Solé. (dalá
In Extremis Sumenda Verecunde Sinaxis.
Inuoca Eheu Suspirio Vulnera Sacra.
Iubilo Extolle, Serenaq; Voce Seruatorem.

MARIA.

Mater Admirabilis, Redẽptoris IESV Aue,
Mortem Amaram Remoue In Agone.
Maxima Aduocata Respice Infimos Alũnos
Meritis Altissima Regina Inclita Angelorũ
Mirabile Antidotum Renouans Inquinatas Animas.
Matutina Aurora Radiãs Incredibili Ardore.
Margarita Artificiosa Resplẽdet Inclusa Auro
Munitũ Afflictorũ Refugiũ Inter Aduersitates.

A Mise-

Misericordiã Attritus Reus Implorãs Agnosco.
Musica Angelica Resonet In Auribus.
Mystica Arca Reclinatoriũq; Imaculati Agni
Murus Antemuraleq; Resistens Ingressui Auerni.

IOSEPH.

In Oculis Saluatoris Eminẽtẽ Passionẽ Habeto. (mo
Intẽta Oratione Supplex Extẽsa Procide Hu-
Inter Opera Stude Exercere Pietatẽ Homo
In Orco Scelesti Extremo Puniẽtur Horrore.
Illicita Offensa Sauciat. Exulceratq; Periculosa Hamo.
Infinita Omnipotẽtia Sanat Excessus Pœnitentiæ Honore.
Immoriar Ouans Superato Egregiâ Pugnâ Hoste.
Indica Obsecro Seruator Effluentem Peregrinationis Horam.
Interitus Optandus Spiritũ Educendo Placido Halitu.
Intus Omnes Sanctificemur Extincto Prauo Habitu.
Imprime Osculum Sacræ Effigiei Profundâ Humilitate.
Inuigila Operibus Semper Exhibe Pauperibus Hospitalitatem.



VENI SANCTE SPIRITVS.

Tua Christe paſsio, ſit noſtra meditatio & compaſsio.

Faſciculus Myrrhæ Paſsionis CHRISTI, *collectus pro anima redamante.*

CVm non potueris patientiſsime IESV vberius beneficium inimico generi humano contuliſſe in exceſſu benignitatis & charitatis tuæ carnem aſſumendo; eam pati dira tormenta, crucem, mortẽ, ſepulturam permiſiſti, vel potiùs te in ea vt homo ad paſsionem obtuliſti. Quod ergo præmium tanti amoris requiris? quale telonium à natura humana exigis? Non aliud ſcio niſi gratitudinem, quæ & deſiderio tuo correſpondeat, & nos ad ingrediendum in cœleſtem pa-

triam per te inuitet. Compati imperas tibi in hac vita, & quid iustius? Congaudere æternaliter in altera promittis & quid felicius? Pro Passione acerbissima tua, exiguo dolore te imitari iubes, & solatio perenni refundis. Libenter & ego mandato tuo ex amore reciproco obtempero, & Passionem tuam viuis repræsentabo affectuũ coloribus (in tres libellos diuidendo) cordibus Passionis tuæ mærore transfixis. Primus ergo libellus ante Passionẽ facta tua ac dicta percurret. Secundus totam passionis tuæ proponet historiam. Tertius, quæ à morte gesta sunt debili ac fideli notabit calamo. Tu qui passus es, adsis conceptui & menti, vt dignè exprimatur tuo iuuamine, quod destinatum est tuo dictamine.



GESTA CHRISTI ante Passionem.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Hora passionis à Christo cognita, Et Matri suæ Mariæ communicata.

Discessus lugubris vtriusq.



PAtientissime IESV, Creatorem nō latet quod creatum est, nec cogitationes hominū abscōditæ: ergo nec tempus, nec hora Passionis tuæ tibi ignota, dum ab æterno elegeris, quo & qua redemptioni inchoandæ initium dares: te ipsum motibus cœlestibus subiecisti, & obsequio eorum paruisti dicens; Hæc est hora vestra, & po- Luc. 22. v. 53.

& potestas tenebrarum; eritne hora otiosa oculorum meorum, & hoc tempus tam aridum, vt fontes lachrymarum non decurrant, neque guttam emittant humidam, quâ admirationem & dolorem testentur? non faciam Domine, non: exprimam tanquam torculari compassionis affectu è genis meis aquam pœnitentem, & simul obtestabor, vt tui imitatione (non exquirendo curiosè horam, & tempus discessionis meæ è corporis sarcinâ) subdam me voluntati tuæ: vt quando & quomodo vis, fiat quod vis, dummodo sit potestas lucis tuæ, horâ meâ vltimâ vel potiùs tuâ; vt tenebræ peccatorum meorum lumine gratiæ tuæ discutiantur, & obedientia horæ passionis tuæ ad obedientiã mandatorum tuorum deducar, & ad præmium remunerationis mediante vulnerum tuorum medicinâ, transporter. Nec dubito

horam & tempus Passionis tuæ communicâsse te MARIAE Matri dilectissimæ, sed tunc afflictissimæ, cui vti alia secreta æterna, ita quoq; te æternum commiseras, etiam in dolorosa vita, dolore tibi sociare decreuisti. Fortè sic alloquendo eam: Scis, ô mea Mater supra omnes creaturas dilecta, me de cœlo ideò in vterum tuum descendisse, vt perditum genus humanum ab æterna morte liberarem, morte meâ iram Patris placando: & quia grauia delicta mortalium cœlũ offenderãt, ne inferni cruciatibꝰ addicerentur, ego in meo corpore inaudita vulnera sustinere proposui. Hactenus ergo, ô Mater, tibi subditus fui, & consolabar te in puerili ætate mea, sed admixtus consolationi fuit dolor, cùm & in Ægyptum fugâ te & me saluaueras, & in templo me perdideras. Verum eheu, quæ comparatio doloris tui quẽ

patieris, dum acerbissimam mortem meam proprijs videbis oculis, hodie vesperi à Iuda proditore discipulo meo, furentibus tanquam leonibus Iudæis extradar, neq; requiem vllã habebo, vsque ad exitum animæ meæ è corpore. Attamen ne deficias dolore, ô Mater mea, considera voluntatem esse Patris mei, qui in cœlis est, cui & ego & tu te conforma. Iam tibi valedico, quarto die ab hinc in gloriá post Resurrectionem te reuisurus, plorabis quidem per hos dies, sed tristitia tua vertetur in gaudium. Quis posset attingere conceptu quantâ tristitiâ repletum fuit cor MARIAE, auditis talibus verbis amantissimi Filij sui, tacita prouoluta in terram consensum præbuit, mente voluens illum prędictum à Simeone gla-
Luc. 2. v. 15. dium, qui animam eius transire debuerat; sensit primum illius ictum sibi infigi, & desideràsset
tunc

tunc mortem. Imò pro summo beneficio eam reputasset, diuerso modo ab illo Rege dicendo & exclamando: *Quare non separas amara mors?* quam iam non dicerem amaram sed suauem prę anxietate animæ de imminēte passione vnigeniti Filij mei. O quæ lingua discessum vtriusq; lugubrem verbis comprehendere valebit? mæror & fletus erant tunc testes doloris ex separatione amborum, sed neq; nunc desunt descriptores amaritudinis & Filij & Matris. Tu anima mea rumpe cataractas duri cordis, in luctusq; pœnitentiæ cōuertere, cum & Dominum, & Matrem eius ad terram prostrata roga, quatenus in separatione tui à corpore ita diffluas copiâ lachrymarum, vt mediante dolore illorum in discessu mutuo, congressu felici in gloria Resurrectionis cum illis coniungaris.

CAPVT II.

Judæ pactum cum Iudæis: Vili pretio vendita inæstimabilis Margarita.

PAtientissime IESV, dolor tuus augetur domestico & familiari tuo facto ex discipulo traditore; auaritia & amor pecuniæ cœcus inæstimabilem vendit pro triginta aureis vnionem: Emptio & venditio horrenda, detestabilis, cruenta, pro nummo exiguo sanguinem purissimum & innocentissimum distrahere. Perditus venditor & emptores abominandi: ille pro beneficijs & eruditione, Magistro mortem mercatur, hi pro miraculis & paterna correctione, tormenta rependunt: infelix discipulus surdâ aure non admiserat
Mat. 13. v. 45 dictum Creatoris. *Simile est regnū cælorum homini negotiatori quærenti bonas Margaritas, inuentâ autem vnâ pre-*

pretiosa Margarita, vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum: Inuenerat Iudas Margaritam pretiosam, nimirum tantum Magistrum & doctrinam eius: imò ipse erat Iudas pretiosa Margarita, cùm in numero duodecim discipulorum fuisset, sed vili pretio vendidit & Dominum, & animam propriam. Ita mi Redemptor in extremo gradu pati incepisti, quando à dilecto quondam discipulo tuo traditus, inimicis tuis in prædam cessisti, non continebo lachrymas, animaduertendo me peiorem esse Iuda, quem tantopere iam condemno, ille semel, ego millies te trado, ille pro pleno marsupio, ego pro vacua voluptate, ille Iudæis vendit, ego tua dona mihi concessa Diabolo, ille statim punitus, ego tam diu impunitus viuo, ille suspensus, ego misericordiæ tuæ abysso à laqueo præseruatus. Verùm si misericordiæ tuæ magnis-

gnitudinem animo reuoluo, recolligo me & doleo, quod tuam Maiestatem offenderim: non Iüdæ maledictâ pœnitentiâ ductus, at spe veniæ erectus, maior enim tua æquitas meâ iniquitate, copiosior tua redemptio, meâ tot malorum commissione, abundantior absolutio meâ inquinatione; non vis vere Domine mortem peccatoris, qui me morte tua ab æterna morte eripuisti. Vili pretio Iudas te Iudæis addixit, ego viliori pro me te emam, non vt te tradam, sed vt me ipsum tibi totum offeram. Quid vilius & abiectius, quâm suspiria, & aqua oculorum? hęc fœmineæ naturæ imbecilli, illa timido adscribuntur pectori: at tu qui omne superas pretium, ideo exiguo lucro venditus es, vt & nos leui oblatione pœnitentiæ te emamus: Væ tamen mihi, qui te toties & emo, & iterum vendo; statim enim post

pœni-

pœnitentiam reuocatur peccatum, & post veniam redit culpa. Quæ autem fuerit causa, cur eò Iudas electus ab ipso Deo deuenerit, vt benefactorem inimicis vendiderit; inprimis radix auaritia, cùm & Euangelista scripserit *eum habuisse loculos*, & cùm non Ioa. 12. v 6.
suffecisset pecunia, cogitauerat de vendendo vnguento, quo Christus à Magdalena inunctus fuerat ante passionem: & quidē Mar. 14. v. 5.
non manifestè, sed quæsito colore, & prætextu iuuandorum pauperum: hac spe frustratus, coactus tandem vendere Dominum suum, quem sciebat esse Devm, & videbat sæpiùs euasisse periculum Iudæorum, cùm capere eum destinâssent. Sic ergo secum argumentabatur. Impossibile est, vt Deus possit à Iudęis vinciri & occidi, (nam & Petrus & alij discipuli idem putârant) ergo accipiam nummos, ipse verò euadet manus eorum, cum

aliâs & per medium eorũ transie-
rit, & absconderit se ab eis: nunc
quoq; idem facere potest, & ego
memor notæ mihi misericordiæ
eius, deprecabor culpam, cuius
& veniam obtinebo, quæ certò
ab illo mihi ignoscętur, & pecu-
niam possidebo: miser malè
consequentiam intulerat: Nam
& CHRISTVS fuit captus à Iudæis
& mortuus; & ipse pecuniam
oblatã restituit, veniâ indignus
iudicatus, patibulum, execrandi
sacrilegij sui præmium, potiùs
mercatus est. Caue anima duo
quæ in Iuda tibi proponuntur
pro exemplo, ante peccatum ni-
mis extollere misericordiã DEI,
post peccatum desperatè rigo-
rem iustitiæ Diuinæ timere: an-
te lapsum præsumptione labo-
rare, posteà in desperationis ba-
rathrum incidere, per hunc acu-
leum doloris à discipulo Redem-
ptori inflictum, supplex ores a-
nima mea, ne in iudicio extremo
cum

cum maledicto Iuda sortiaris partem æternæ damnationis, verùm pretioso sanguine eius redempta, tanquam magni pretij margarita, in thesauro gloriæ cœlestis colloceris.

CAPVT III.

Lauat pedes discipulorum Maiestatis Dominus, etiam Iudæ sacrilegi; Magna Petri humilitas; sed quantò sublimior CHRISTI.

PAtientissime IESV, ô quàm plenum charitatis fontem aperuisti, dum Veteris Testamenti peractâ cœnâ legali, quâ figura Agni mox verè immolandi conclusa, veste depositâ, linteo te præcinxisti, & ad lauandos non solum aliorum, sed & maledicti Iudæ pedes te inclinâsti. Cohorruit ad tantum hu-

militatis actum ipsa Petra Ecclesiæ à te constituta: quis hinc Angelorum sensus? quæ cœli attoniti extasis? quis ipsius Patris Cœlestis intuentis affectus? cordis secretò relinquo ruminandum: quâ confusione Lucifer, & asseclæ eius affecti? videntes Creatorem ad pedes discipulorum sacrosancta genua inclinantem, & benedictas manus demittentem: Vlulatus, indignatio, & fremitus inferni secutus, simulq; inuidia, quâ peccatum humanæ superbiæ, profundâ humilitate Dei incarnati abolebatur, & illorum ambitio absq; spe condonationis luenda, igni æterno relinquebatur. Ceremonia hæc sancta cuiuslibet animæ deuotæ oculis obuersari deberet, quomodo Petrus detrectet lauari sibi pedes, cum Saluatore certando humilitate: quasi diceret: Quis ego sum, vt mihi sordidos pedes lauari ab ipsa puritate

tate permittam ? ſed intellecto reſponſo, quod de parte in Regno cælesti poſsidenda ab ipſo Domino dubitatio inijceretur, totum ſe lauari deſiderat; at CHRISTVS pedes tantùm lauare decreuerat, per quos (humilitate armatos) totum mundū conuertere ſtatuerat: fundamentum ergo in lotione pedum iecerat, & à Petro quidem, vt à primo lapide fidei à ſe electo, inchoauerat; tum & reliquorum diſcipulorum, quorum peregrinatione Euangelizando, & peragrando orbem terrarum, ſuperba trophæa diuerſorum dogmatum deijcere parabat. Quid autem cauſæ, quod & Iudæ proditoris non præterierit Dominus ſpurcos lauare pedes? At hæc cogitanti, an non interrumpent lachrymæ & ſcribendi & legendi curſum? facient certè: Auditumné vnquam à ſæculo, proditoris pedes à Deo lauatos? Au-

ditumnè adhuc magis, humanitate tantâ & humilitate non elatos? Auditumnè adhuc magis, lauatos non ad munditiem, imò impulsos ad proditionem? sic exuberat charitas, vbi perfecta: verùm vbi quam in Deo perfectior, & tamen, quod deplorandum, ignis infernalis, instrumento auaritiæ humanæ accensus, extinxit, vel obruit aquam cœlesti manu mundare sordes cupientem? Non frustra tamen factum à Saluatore, quòd & Iudæ pedes abluerit: quinque potissimum causæ assignari possunt. vel vt Patrem communem bonis & malis ostenderet, iuxta illud: *Pluit Deus æque super bonos atque super malos, & oriri facit solem super iustos & iniustos*, omniaque beneficia extrinseca largitur electis, & damnandis. Vel, vt nos instrueret, etiam inimicis benefacere: nouerat Iudam fore proditorē, nihilominùs tamen illum Domi-

Mat. 5 v. 45.

nus & à ceremonia lauandorum pedum non exclusit, & ad cœnam sacrosanctam adhibuit, & plùs præ cæteris præstitit, vt manum cum Christo simul intingeret in paropside. Quomodo non erubescis anima, dum de tuis inimicis vindictam sumere cogitas, & Redemptorem tuum hostem suum tractare tam humaniter cernis? Vel vt præsumptio omnis è pectoribus humanis tolli possit: quis enim dubitâsset non felicem fuisse Iudam, qui ab ipso Christo inter duodecim Apostolos electus fuerat, omnibus secretis præsens adfuerat, miracula patrarat, & postea eò deuenit, vt benefactorem suum inimicis proderet: Rectè Apostolus admonet. *Qui stat videat ne cadat.* Stetit Iudas in solio Apostolatus, sed tam turpiter cecidit, vt omnia viscera eius effluxerint, & vsque ad profundum barathri demersus sit: Vel vt præ

1. Co. 10. v. 12.

scien-

scientiam lapsus Iudæ, tanquam DEVS, declararet, dixerat discipulis eum se traditurum, & tamen æqualiter cum alijs eundem & lauit & pauit. Licet non omnes mundos esse sciret, docere nos voluit, ne prædestinationem DEI temerè indagare præsumamus, cum Dauide reseruando in successuram æternitatem tale iudicium. Vel vt ad conuersionem proximi nostri omnem conatum adhibeamus, etiamsi fructu laboris careamus. Quid non fecit CHRISTVS vt animam Iudæ lucrifaceret? verbo, exemplo, opere, viam ad salutem ei demonstrauerat ad punctum passionis, allicere ad sui amorem studuerat; frustra omnia facta, prædominante stimulo auaritiæ in corde proditoris peruerso. Iudas potiùs debuisset exclamâsse cum S. Petro. *Domine, non tantùm pedes laua, sed & manus & caput.* & cum Dauide re-

Ioan. 13. v. 9.

pete-

petere: *Amplius laua me ab ini-* Ps 50
quitate mea: Non prodest, vt Æ- v. 4.
tyops lauetur; neque Iudæ profu-
it, denigrato carboni, infernali
caractere auaritiæ, & despera-
tionis. Ergo tu anima mea, in
genua tua procidens ante Salua-
torem dic: Rogo te, humillime
Domine, velis meos lauare pe-
des meorum affectuum ad salu-
tem, lauâsti me lauacro Bapti-
smatis, sed maculæ teterrimæ
actualium peccatorum successe-
runt; lauâsti balneo Sanguinis
tui, sed iterum peccata mea in-
quinauerunt. Fateor me peio-
rem esse Iudâ, dum te sæpiùs
tradens, & voluptatibus indul-
gens, abusus sim lotione pedum
& tanti pretij lauacro. Laua tan-
dem aquâ efficacis pœnitentiæ,
vt in exitu vitæ meæ munda in
conspectu tuo appareat, à quo
coinquinatum omne eijcitur, ne
eijcias me CHRISTE sanguine tuo
mediante, & à gratia & à gloria
tua. CA-

CAPVT IV.

Institutio SS. Sacramenti à CHRISTO; nec Iudæ denegata eius sumptio.

PAtientissime IESV, verè Aquilæ sublimitate exuberantem charitatem tuam describit, recumbens in pectore dilectus tuus Euangelista, illis verbis: *Cùm*
Ioan. 13. v 1 *dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Non poterant ex armamentario cœlesti contra insultus Principis mundi eligi fortiora arma, DEVS qui eligit vt Dei Filij adoptiui essent homines, etiam carnem in Deo existentem ab hominibus manducandam proponere, & sanguinem Diuinum propinare elegit: finis est bonitatis & charitatis Diuinæ in finem æternum collatum beneficium, quod ex finitis & mortalibus, in infinitos & in immortales transmutat. *In finem dilectio*: quia mors

tem-

temporanea succesit diligentis & *Fortis vt mors dilectio*, comprobata morte breui amantis, imò fortior morte, eximēs à morte æternâ genus humanum: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, *dura vt infernus æmulatio*: infernus per os impurum euomuerat: *Durus est hic sermo*, noluit intelligere medicinam contra venena spiritualia, nec potuit; vltra Cerberi cerebrum inuentum, antydotum peccati; contra paradisi vetitum cibum degustatum, nectar ambrosium: Caro & Sanguis offertur CHRISTI. Ante diluuiū prohibitæ carnes, *Quia omnis caro corruperat viam suā*; Post diluuiū concessus esus carnis: intrauerant ante aquæ vsq; ad animas mortalium: tanquam cadauera fœtentia, huc & illuc ferebātur impulsu voluptatum. Post diluuium, videlicet, post effusum Sanguinem, & laniatū in Cruce Corpus Dñi, indultum epu-

Ioan. 6. v. 58.

Ioan. 6. v. 60.

Gen. 6. v. 12.

epulum Carnis Sacrosanctæ. Illa dispensatio diluuialis carnium, minuit vitam & vires: hæc oblatio cibi & potûs CHRISTI corroborat vitam in æternum, & vires Giganteas Leoninasq́ largitur, exhortante D. Chrisostomo. (*Tanquam Leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti Diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes, & charitatem quam erga nos ostendit.*) Non visum in terris donum, quia non visus in terris vt homo DEVS; nemo absens seipsum reliquit, DEVS vbiq; presens, vt homo specialiter in Sacramento manducandum Corpus & Sanguinem Testamento deposuit: Hoc ergo admirandum & adorandũ, verum & exhorrescendum, cùm & tunc dispar fuerit exitus comedentium: bolo suaui sumpto Iudas armatur in Sanguinem Magistri. Petrus confortatus eadem refectione, gladio arcet à Domino

Sanc. Chri. hom. 61 ad pop. Ant.

inua-

inuasorem, Cur hæc? Charitas operabatur in Petro defensionẽ, obstinatio & auaritia in Iuda, impulit eum ad proditionem. verè dictum illud: *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali*, Corpus Christi. Quanta inæqualitas, vnius è manducantib⁹ & è scholâ Christi, fit fundamentum fidei, danturq; ei simul claues ad cœlum aperiendum. Alter ex eâdem scholâ, & ex recumbentibus in cœnâ, crepuit medius in patibulo, & absq; claue, aperto ore infernus eum deuorauit. Tu anima, considera bonitatem Saluatoris in instituendo venerabili Sacramento, & quam ob causam hæc Cœna peracta sit. Vel vt necessitatem nobis sumendi Corporis & sanguinis proprij imponeret: quid enim magis necessarium quàm cibus & potus homini, & quo magis alliciuntur mortales ad recognoscendam beneuolentiã alicuius,

quàm pane & vino? ideò sub specie panis & vini CHRISTVS proposuit manducandum Corpus & sanguinem, vt ad frequentem accessum mensæ suæ nos alliceret. Vel vt potentiam suã ostenderet, quòd non tantùm vno verbo mundum tam mirabilem creârit: sed etiam vno verbo Sacerdotis, Panem & Vinum in Corpus & Sanguinem veri DEI immutare posset; vel, vt ad immortalitatem consequendam nos accenderet, immortali cibo animam immortalẽ in vitâ mortali pascendo. vel, vt æternitatem intimaret, cùm eundem panem cœlestem, & vnus, & tot millia sumant, semper remanente integro Corpore CHRISTI. vel vt charitatis abyssum palam faceret, se ipso relicto in pignus amoris generi humano. Lachrymæ vbi estis? congregate vos ad oculos meos: & tu anima procide in terram, rogans obni-

xè, vt dilectioni Domini, amore reciproco, à te respondeatur, vt Caro & sanguis Christi, quem sumis, non Iudæ patibulum in imo terræ, verùm Petri sedem in Cœlo tibi præparet, vt quem gustas in terra peregrino sapore, eodem fruaris in Patria Cœlesti, inæstimabili ardore.

Capvt V.

Colloquia Christi post Cœnam cum Discipulis, instar Testamenti.

Patientissime Iesv. Excluso à successione hæreditatis æternæ scelesto Iuda, ac post eius discessum, ad impiam mercaturam ab auaritia attracto, distribuis Domine testamento mun-ra adoptiuis electione tuâ fili, Vna quidem hæreditas, at sum-nam omnium diuitiarum com-plectens, dilectio, quam & disci-

pulus in Cœna pectori tuo indormiens ad senium vsq; proprijs discipulis commendabat. obsonia multa allata quæ commendarent charitatem, suauissimis labijs distillabas verba amore plena. Ex tot, sumam mihi quinq; ruminanda, ad cor meum charitate accedendum. Spiritum Sanctum consolatorem à te discipulis promittis mittendum. Mundi tempora etiam longissima & ætates millenas modicum apellas. Mansiones multas & diuersas in domo Patris tui esse, firmiter asseueras. Mundi Principem, nihil in te habere, nec in tuos, constanter prædicis. De tua glorificatione, quam habuisti in cœlo, antequàm mundus fieret, enarras. O verè Diuinum Testamentum, accomodatū & tempori & personæ: Spiritus sācti promissâ missione succurristi afflictis discipulis consolatione futura, cùm se orphanos
bre-

breui, te absente, fore cognoue-
rant, pręuenisti itaq; eorum mœ-
rorem, ne tristitiâ nimiâ, ob tuũ
ex hoc mundo abitum consume-
rentur. Scimus enim quales fu-
erint ante aduentum Paracliti, &
quales post acceptum eundem:
non quidem capiebat mens ca-
duca eorum tunc, nam in Pasi-
one tua fugâ dilapsi, de tua re-
demptione desperârant; post-
quam verò superuenit promissus Actor.
Spiritus Sanctus, timor versus est 5. v.
in audaciam, ita vt irent gau- 40.
dẽtes à conspectu consilij, quod
passione tuâ eos dignos effece-
ris. Et modicum tunc intelle-
xerunt, esse mundi longissimas
ætates, cùm varijs tormentis, &
tortoribus ipsi sese offerrent, vt à
modico hoc abirent, & ad æter-
nitatem aspirarẽt, infinitisq; alijs
persuaserunt, vt modicum hoc
relinquerent, & æternitati se
manciparent; paruus mundus
videbatur illis, non vt Alexan-

dro magno ob ambitionem, sed ob desiderium eũ tibi lucrandi. Quid enim mirabilius, quàm vt duodecim Personæ, non præliando, nec armis militaribus vincendo, sed faciendo & moriendo, idola destruerent, & ad verum Dei cultum totam machinã mundi adducerent. Condimentum fuit ad labores perferendos Apostolorum, multitudo mansionum in tua residentia cœlesti commendata, ne in capacitate loci putarent multos fore exclusos, vel illâ comparatione sagenæ missæ in mare, existimarent esse exigua loca & angustias, quibus coarctari electi deberent, agnouerunt plurima loca, eaq; infinitæ magnitudinis dictante Spiritu Sancto, & tuum verbũ hac in parte de mansionibus diuersis in cœlo explicante; vt
Apo. 7.v.9 vnus ex Euangelistis viderit turbam electorum, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gen-

gentibus, & nationibus, & tribubus, his omnibus ſpecialia loca aſsignata ſunt à Patre Cœleſti, ante conſtitutionem mundi, quomodo nõ poterant Apoſtoli mederi ſuæ triſtitiæ, cùm hæc audirent? Fortaſſe tamen imperfectio & imbecillitas, oculos & intellectum eorum velauerat: quod velamen Spiritus Sanctus ſuperueniens ſuſtulerat, vt hunc timorem Apoſtoli excluderent. De Principe mundi, incaſſum venabula ſua vibrante, edocuiſti Domine: abijt ille triſtis & confuſus in barathrum, abſq; lucro, potiùs cum detrimento tot animarum electarum. Tu enim, Christe, dixeras in exordio Paſſionis tuæ ad Patrem: (*Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam*) Ioan. 18. v. 9.
Contentus ſis Sathana ſolo Iudâ, reliqua caterua extra tuam poteſtatem in ſinu Saluatoris manſit, manebitq; in æternum. Et hoc eſt quod ſubintuliſti, Domine, *de*

claris

claritate tua, quam habuisti ante mundi creationem. Apage Ariane, cum tuo temporaneo Deo: Testamento credo Christi, qui rubicundo sanguinis suo sigillo veritatem consignauit, omnesq; in se credentes ad illam claritatem ab æterno habitam suę passionis triumphali gradu perduxit. Hęc consideranti, anima mea, defluāt ex oculis plurimæ guttæ pœnitentes, demisse agendo gratias CHRISTO, quòd tantâ curâ salutem tuam procurauerit, & loquere ad tuum Redemptorem: Dic Domine, & factum erit, vt idem testamentum audire possim, in abitu ex hoc mundo. Spiritus Sanctus, inter anxietates intrinsecas consolator adsistat: modicum hoc contemnatur, quod quotidie euanescit, mansio, æterna electione tuâ diuinâ mihi attribuatur: Princeps tenebrarum in agone victus tuis meritis abscedat: Claritate tuæ gratiæ per-

perfuſa & illuminata, cruoreq́ tuo (licet immunda) mundata, ad illam perueniam claritatem, quam habuiſti priuſquàm mundus fieret, & in æternū habebis.

CAPVT VI.

Receſſio Iudæ ad Iudæos: CHRISTI iter ad hortum, & conuerſatio.

PAtientiſsime IESV. Abſolutâ cœnâ, & Teſtamenti Diſcipulis enucleatione, dixiſti: *Surgite eamus hinc*: Iuiſti ad hortum, Ioan. 14. v. 31. tuæ captiuitati deſignatum, in quo elegiſti, vt initium paſsioni tuæ ab æterno præordinatæ dares, neq; Iudæ ipſi locus non cognitus. Ille ergo tum temporis cum Dauide loquendo, habuit *veloces pedes ad effundendum ſanguinem*; Pſ. 13. v. 3. diſcurrebat furens, vt acceptâ pecuniâ, verbo iniquo ſtaret: ergò ſynonyma inter ſe tripudiant; & ſimilis ſimilibus.

& nomine, & insaniâ, & malitiâ congaudet. Iudas cum Iudæis instruit contra te aciem, vt quantociùs ad effectum, perfidiam & prauam intentionẽ perducant. Tu verò, armatus charitate, quæ tibi vindictam abstulerat, expectabas voluntariè ictum: Turbatus est oculus tuus (cui nihil secretum est) passione crudeli imminente, & stante ante faciem tuam, repræsentabat memoria, recentibus coloribus, plagas & vulnera, intellectus cogitabat enormitatem dolorũ & vellicationum; voluntas ad hæc omnia toleranda, amore animarum lucrandarum ferebatur. Hoc illis verbis testatus es
Mat. 26.v. 38. Mar. 14.v. 34. Domine: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem:* O quâm graue scelus peccatum! Ipsam consolationem, & DEVM totius consolationis mœrore ingenti afficit, præsertim eo perseuerante ad mortem: nouerat Saluator mœ-
ros

rorem futurum in inferno mortalium infinitum; ideo propriâ tristitiâ ad mortem satisfecit iustitiæ Diuinæ, illamq; auertit, vt ipsemet Discipulus retulit; *Tristitia vestra vertetur in gaudiũ*; quasi voluisset dixisse: Ego iam contristor, sed mea tristitia, causa erit, vt vos afflicti, consolatione superueniente, obliuisci tribulationum vestrarum possitis; interim tamen, occupauerat pauor corda Discipulorum, cùm Magistrum tædere animaduerterent. verùm non frustra hæc dicta verba à Saluatore: Hominem verum se esse, hac voce verè confessus est, neq; ficta futura tormenta, neq; in apparenti corpore tolerata, prædixit; confusis Hæreticis, qui talia affingere capitibus suis erroneis conabantur. DEVM etiam se esse non negauit, dum futura vt præsentia intuitus, verbera & mortem, & horrorem fragilitati carnis commu-

Ioan. 16. v. 20.

municauit. O quàm funesta cõuersatio, cũ in capacibus discipulis, in via, mortis suæ austerũ nuntium adesse propalauit, signumq́; mœroris ex vultu sacrosancto & gestu ostendit. Inter hæc colloquia mutua, horti conspectus adfuit oculis, memoriâ subeunte horti Paradisi, à quo primi Parentes eiecti, inobediẽtia & præuaricatione instigante, in exilium huiusmodi, & ex hoc mundo ad gehennam destinati; vt iterum non horto, sed cœlo restituerentur, & cum illis omne genus humanũ, hactenus perditum, in funestum hortum Pater, iustitiâ instante, & amore non repugnante, inclusit Saluatorem, in quo, satisfaciendo delicto delicati cibi, contra mandatum gustati, amarissimum poculum expectabat; vt tanquam medicinæ pharmaco eijceretur, noxa pomi comesti, & vt Angelus post delictum primorum Parentum

rentum, clauserat portas Paradysi, ita iam Angelus etiam annuntiaret, post euacuatam potionem à Christo, non tantùm Paradysum, imò totum cœlum apertum fore, nunquamq́ occludendum. O nimia charitas? quę dum oculis peccatorum occurrit, ariditatene lapidescent? De hoc horto loquitur Sponsa aliquoties in Canticis, semel inuitando in persona naturæ humanæ, quasi nolentem. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Quæ domus alia Matris Euæ, nisi hortus Paradysi? itaq́ ad similitudinem illius horti, ad hunc inuitat. Docetur à Sponso in eodē horto, & modus orandi, quo Diuinæ voluntati se subiecit; & vigilantia commendatur Discipulis, & mansuetudo, quâ inimicū Iudam bęnigno responso exce- Cant. 2 v. 8.

pit, innotescit. Propinatur poculum ex vino condito amaritudine: & quia recens, ideò mustum vocatur, in Cruce, tum demum antiquum vinum & forte, ebibetur: malorum granatorum, quæ & rubra sunt & amara; ita in horto Sponsus, sudore sanguineo granata rubra & amara, expressit. In alio loco, inuitat
Can. 5.v.1. Sponsa ad hortum: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Fructus ex pomo à Parentibus nostris cōsumpto, sunt peccata; hæc absorpsit voluntariâ in horto resignatione suâ ad Passionem tolerandam. Eadem Sponsa, declarat venisse in hortum Sponsum:
Can. 6.v.1. *Dilectus meus descendit in hortum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Collegit CHRISTVS in horto, vel potiùs seminauit Lilia, ex quo tanta messis Martyrum excreuit. Eheu anima mea, resoluas te in planctum, etsi non primorum
Pa-

Parentum, saltem tua defle peccata, quæ Dominum Cœli & terræ in angustum hortum concluserunt, procidens roga, vt tristitiam tuam de peccatis, in gaudium æternæ gloriæ trãsferre, mediante pretiosissimâ suâ morte, Saluator velit.

CAPVT VII.

Derelicti alij Discipuli, tres tantùm à Domino in hortum assumpti.

PAtientissime IESV, Nihil à te actum est sine insigni mysterio, at occultum nostræ simplicitati, manet, possumne te tamen interrogare, ô Domine, cur non omnes, verùm tres in hortum, locum traditionis tuæ Iudæis, discipulos tibi associasti? Agnosco me indignum responso tuo, quæ enim communicatio creaturæ abiectissimæ cum

Creatore, circa mysterium Redemptionis? Ergo audebo ipse mecum ratiocinari, cum amatorio affectu. Hæret mihi illa tua
Mat. 22. v. 14. seuera sententia: *Multi vocati, pauci electi.* Forte paucitas discipulorum, electorum exiguū denotabat numerum, non quidem & alij Discipuli reprobati; similitudo tamen terret, si intueor, & plures Catholicos, & me ipsū licentiosā lege decurrere scenā vitæ: vel, Domine, paucos Incolas prioris infelicis horti imitatus, expectasti serpentem, quē fouisti in sinu tuo, vt te astu blandi osculi, non seduceret, non abduceret, non excluderet, sed educeret, nō intercluderet mœrorem, sed augeret mortis dolorem; vel, vt in minima assistentia, resoluendo te, vt traderetis Iudæis, comparuisti, vt eò magis, voluntati Patris te accomodares, vt ipse postea in passione
Ioan. 18. v. 36. Pilato respondisti; *Regnum meum*
non

non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderet Iudæis. Habebas defensores & Angelos, & Discipulos illos prohibuisti, nē auxilium tibi ferrent, hos pauore perculisti, vt fugerent. Quid si vt in quatuor partes mundi fructus tuæ passionis dilataretur: ideò cum tribus Discipulis, tu ipse quartus, hortum petijsti? Occasum tuâ morte tibi sumpsisti, & verissime; quia & ascendisti in crucem super occasum, & occidere in passione solem, non seruato cursu naturali, fecisti; & idola omnia, Ethnicasq; superstitiones, tum & ceremonias veteris Testamenti occumbere iussisti. Petro, Septemtrio debebatur, frigebat miser destitutus calore charitatis, ideò calefaciebat se, Boreâ timoris flante, & in corpore, & in corde. Cùm enim te Christe negâsset, intensum

frigus sensit. Ioannes Orientem, iuuentâ castimoniæ & Asiæ man sione, figurabas. Nam cùm in pectore Redemptoris in Cœnâ obdormisset, euigilans intellexit in se ortum specialis gratiæ Diuinæ, vnde præ cæteris discipulis magis diligebatur, & secreta Cœlestia præcipua, ei fuerant communicata; & ex Discipulo, Filius Dei Matris, voce pendentis Domini in Cruce factus, quasi denuò renatus, & ortus videbatur. Meridiem Iacobus præsignabat, in calidis partibus, doctrinæ CHRISTI præco effectus, tantoq; ardore erga Dominum, spirituali accensus, vt primus omnium Apostolorum, sanguine proprio obtulerit holocaustum, & iam, vbi in vita fidem Catholicam seminauerat, feruentissimos fructus Euangelij, vigere mundus agnoscit. Sed quid hoc quod secretum Orationis tuæ ad Patrem, exiguâ eâq; dormiente assistentiâ, absoluere elegeris è

Non mirum, id fecisti quod docuisti, clauso ostio cordis, & solo Deo Patre teste, precando, vt & nos similiter ad te supplicationes nostras attollamus. Fortasse etiam tot numero Apostolos, ad Transfigurationis tuæ gloriam ostendendam, quot ad ignominiam captiuitatis tuæ testandã, elegisti, eosdemq; adesse voluisti, vt quem DEVM antea nossent, humilitatis saccum induisse; etiã scirent; & vbi antea in monte Thabor, bonitatem DEI prædicabant, & residentiam loci optabant, iam fugâ, solâ abscisâ hostis auriculâ, sibi consulerent. Adhuc hac paucâ electione discipulorum, quis scit an non vocationi nostræ regulam præscribere voluisti Domine, dum hos propiùs inuitâsti, alios longiùs abesse permisisti, vt quilibet suâ vocatione contentus, sentiat tuę passionis meritum. Vt enim vita tua communis omnibus fuerat,

Mat. 6.v.6

nat, participareq; cuilibet licitum: eam considerando, sic & passio omnis generis peccata deleuit, & in quacunq; vocatione ad brauium capessendum, inuitauit. An nō per hos tres discipulos vicinos tuæ orationi, tres virtutes præcipuas ad promerendum cœlum, & Deo appropinquandum eminenter proposuisti: videlicet, fidem in Petro, quem & fundamentalem lapidem post te in terris designâsti: Spem in Iacobo, qui à dextris, vel sinistris, in regno tuo desiderabat esse, colorâsti: Charitatem in Ioanne depinxisti, quâ, recumbentem in pectore tuo, abundè imbuisti. Hinc Ecclesia recitat illum versum. *Omnipotens sempiterne* Devs, *da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmenta, & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Anima mea, humi succumbens, ora, vt in virtutibus, maxime verò his tribus proficias,

cias, & assequaris quod Passio Christi promittit, nimirum vitam æternam.

CAPVT VIII.

Oratio Christi ad Patrem breui stylo Euangelistæ descripta.

PAtientissime Iesv. Quis non miretur, dum sciens voluntatem Patris tui, quæ immutari nunquam potuit, & tuâ in idem consentiente, tamen vt auferretur calix à te, diligentissimè orâsti, & quidem ter repetijsti, quandam immutationem Paternæ voluntatis desiderando? Latet arcanum nobis, nostræq; seruiens vtilitati, præscribendo mortalibus normam precandi, scilicet, vt & nos etiam si imminens flagellum pro excessibus nostris, cœlitùs conspiciamus, oratione, lachrymis, pœnitentiâ auertere conemur, si verò nihilominùs fulmen illud nō recesse-

ferit subeamus, colla subijciam⁹
Mat. 6. v. 10 & Luc. 11. v. 2. cum Saluatore nostro dicendo: *Fiat voluntas tua Deus, sicut in cælo & in terra.* Vel cũ alio Sãcto: Ipsa gratissima voluntas tua, sit sẽper summa consolatio nostra. Sed cur pro tanta Passione auertendâ, tam succincta & breuis Oratio? Fortè dormientibus testibus Discipulis, non tota nota. Ait enim vnus ex Euangelistis, prolixiùs CHRISTVM orasse, vt vt est, breuis quidem illa; at quintam essentiam, & succum petitionis doctrinæq; exprimit. *Pa-*
Mat. 26. v. 39. *ter mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verùm tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ter ore tuo sanctissimo, Domine, repetijsti hæc verba: vel, vt Sanctissimam Trinitatem, & tres Personas in vnitate Deitatis, edoceres: ideoq; eandem orationem ter iterasti, vt vnum DEVM in tribus Personis esse, nobis aperires: vel, quòd pro hominum triplici ge-
nere

nere pati designas, videlicet, quod ante Incarnationem tuam erat, & quod tunc sub tempus Passionis tuæ viuebat, & quod residui erant ad consumationē sæculi. Omnia tria tempora: præterita, præsentia, & futura, Deo Patri præsentando, & passionem, in satisfactionem delictorum diuersorum temporum, offerendo: Vel, denotando tres horas, quibus cruci affixus, viuus, voluntati paternæ obedijsti, eamq; ad effectum deduxisti. Mira & imitanda Oratio tua nobis, in omni etiam summa angustia nostra, Patrem Deum vocare, qui paternè immittit correctiones, quibus ei placuerit castigare mortales, hoc tu nos facere docuisti. Quod sequitur; si fieri potest, vt transiret calix, quid aliud exercuisti, nisi nostras orationes improbãdo, quibus extorquere à Deo volumus, non quod illi, sed quod nobis pla-

placet, qui solus scit meliùs quid nobis conducat; imò si vel non statim recedit à nobis afflictio; vel non eo modo vt nos optamus, succedit; cœlum implemus clamoribus, si non blasphemijs: vtamur potiùs illo verbo: Si fieri potest; si non fiet, patienter sustineamus si vero fiet, grati simus pro beneficio accepto:
Mat. 26. v. 39. Vltimò addidisti: *Verùmtamen nō quod ego volo, sed quod tu.* Ecce summa & regula nostra, considerando Filium Dei, Passionis tempore, Dei Patris se submisisse voluntati, quid nos, & ego maximè cinis & puluis, facturus sum? Debeoné refragari voluntati Diuinæ, & Patri meo clementissimo recalcitrare? Si ruminares, anima mea, quoties reiecisti à te voluntatem Diuinam, & obliuioni dedisti orationem Redemptoris? Doleas & dic: feci id millies, iam sicut tu Domine, dolore ingenti circumdas

datus, & lachrymis vberrimis perfusus, hæc verba protulisti, ita fac vt & ego aquâ diffluam contritionis, in omni tribulatione & mœrore, instruar petere, id quod Deo, non mihi, videtur bonum, quod iudicio superno, non quod meo imbecilli, prodest animæ. Audebo tamen plorans, similitudine tuæ orationis, interpellare Patrem illū cœlestem: Pater mi, si possibile est, transfer à me calicem perpetuæ damnationis, & calicem furoris tui, qui est in manu tua, & quem bibent omnes peccatores terræ in æternum, transfer à me lugubre canticum, Væ, væ, quo à tua gratia in æuum separati, horribili voce vlulabunt: verùm tamen non sicut ego volo, sed sicut tu: scio autem tuam voluntatem, quòd non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, Magistrum meum te esse agnosco, & in schola tua

erudiri cupio maximè, vt oratio-
nis tuæ modum, & tenorem re-
tineam, nihil vnquam, neq; o-
rando, neq; operando admittam,
quod Maiestatem tuam offende-
re possit; verùm eheu quoties
illud mihi seruit, quòd te tantum
labijs honorem, cor meum au-
tem à te longè sit, ante conspe-
Mat. ctum tuum verbis me sisto, co-
15. gitationibus per mundum dis-
v. 8 curro, & quod maius, peccatis
me occupo. Humiliter itaq; pe-
to, per meritum orationis & pas-
sionis tuæ, da mihi, Redemptor,
vt hîc & orem, & viuam, toto ti-
bi deuinctus amoris & gratitudi-
nis affectu, quatenus in altera vi-
ta, in illa felicitate æterna viuã,
defixus in glorioso tui aspectu.

CAPVT IX.

Inauditus CHRISTI sanguineus sudor, Angelo confortante præsente.

Pa-

PAtientissime IESV. Plena quidem stupore Oratio tua, in præcedenti capite dicta fuerat, at excedit captum humanũ, monstrosus & inauditus sanguineus in Oratione sudor tuus, rapitur admiratione recogitans incensum amore cor, tale passionis miraculum. Verba tua CHRISTE vere vera fuerant in Cæna coram discipulis prolata: *Desiderio desideraui manducare hoc Pascha* Luc. 22.
vobiscum, antequam patiar: Quid v. 15.
est desiderio desiderare, nisi præuenire Passione Passionem? id tu fecisti, cùm desiderio Passionis præuenisti intrinseco dolore, omnia tua subsecutura vulnera, sicut enim anima præest corpori, ita & tu sanguineo sudore, cruciatus animæ tuæ, antequam Corpus tuum sacrosanctum exponeretur tormentis, quales debuerũt subsequi, ostendisti, ac forti recentiq; imagina-

tione, guttas sanguineas ad terram vsq; decurrentes, expressisti. Auditumné hoc à sæculo sudasse aliquem sanguine? Non. In tuo solo Corpore hoc apparuit, qui & crudeli tuâ Passione, ante Passionem illud colorasti, & anxietatem animi, emisso è corpore cruore, manifestasti: nemo vnquam mortalium tanta passus: nemo ad oculum tormenta imminentia, tam euidenter sibi proposuit toleranda, ideo nemo tanto exteriori signo dolorem ostendit. Si licebit tamen causam tanti amoris inuestigare, quis scit? an non fuerit paucitas saluandorum, cùm non per totum Hortum, at exiguam partem conspersam cruore tuo videam. Ah Domine, timor & tremor occupat ossa nostra, dum copiosa recolitur memoria tam diræ tuæ afflictionis, & tamen tot animæ pereunt? Tu anima mea, compatiaris tanto dolori

Christi; non sis cor lapideum, vel adamantinum: emolliat & liquefaciat te Dominus in agonia positus, qui mala multa, indignissimaq; tormenta præsentiēs, mœrore ingenti, fluctuq; curarum obrutus, ad imminentia sibi funera immanissima, prouolutus in terram, sudore sanguineo, nō solum corpus irrigauit propriū, verùm & puluerem, riuis abundè defluentibus, purpurauit. Quare hoc? vt tuas teterrimas nimirum maculas elueret, vt pauorem tuum excluderet, vt te perditum, & desperatum, & obrutum, & à cœlo separatū, iterū reciperet, in gratiā stabiliret, atq; erigeret. O bonitas inexhausta? ô misericordia conceptu non assequenda. In tali angustia interna Christo manenti, apparuit Luc. 22. v. 43. Angelus, illum confortans quidem, sed cum calice. Indigebasne tu Devs totius consolationis, confortatione, ad cuius nu-

tum omnes Angeli tremunt, & micam consolationis expectāt: Quid est, quòd à creatura tua consolationem tibi afferri voluisti, & simul horrendum calicem in manu eius conspexisti. Ideò forte admisisti Angelum, vt te non ficte afflictum probares, vt te verum hominem esse, & cœlum & terra comprobaret, vt verè passum te mundus agnosceret, propterea confortatio illa cum calice adfuit, qui plenus à Patre missus, mixtâ acerbitate, tibi propinabatur, & porrigebatur. Tu ergo ebibisti totum plenè pro salute nostra, ita vt nihil nobis relinqueres, nisi exiguas reliquias doloris. Quid enim nos patimur pro proprijs delictis, respectu tuæ passionis pro alienis? Ebibisti totam amaritudinem, vt nobis conciliares, integram & perennem dulcedinem. Exhausisti poculum mœroris, vt nos cœlesti ambrosia potares: non

non reiecisti calicem dolorum, vt nos ad mensam lætitiæ æternæ collocares: Propinas quidē nobis calices angustiarum, sed quàm exigui, & quàm cito auferuntur à nobis & præmij loco, si ebibimus, hilari vultu æternā mercedem promittis, & donas. Procide ergo anima mea, ad terram, coram Diuina Maiestate supplicans, vt quotiescunq; sanguineus sudor Christi, polluens tellurem, tibi in mentem veniet, (vtinam autem quàm sæpissimè veniret) perfundas & tu terram tuā copioso imbre lachrymarum, dicendo ad cruci affixum: Rogo te Christe per agoniam, & confortationem ab Angelo, da mihi ne ampliùs timeam timorem illum nocturnū, cum exacto cursu diurno vitæ meæ, nox mortis aderit, baiula malorum, quę meis demerui peccatis: fac, vt Angelus aliquis bonus, tunc in agonie decertanti, pius consolator adsi-

adsistat, cũ derelictus à sensibus, in illa hora tremenda, mortua lingua se nequibit mouere ad inuocandum te, neq; oculi mei lucem capere poterunt, auresq; nulli voci patescent, tum missus nuntius à te, guttam saluifici sudoris tui, mihi moribundo instillet, desperationis foueam remoueat, calicem pœnarum inferni auferat, & genimine cœlestis scaturiginis, inebriatum roboret ad vitam æternam, per mortem transitoriam, capessendam, sanguine tuo mediante, cui & tunc, & nunc grates summas rependo.

CAPVT X.

Somnus Apostolorum præ tristitia, & ad vigilandum CHRISTI *admonitio.*

PAtientissime IESV, Mirabilia tua facta, & sanguineus sudor, antequam prodereris inimi-

micis, non excitarant Discipu-
los dormientes, necesse fuit, vt
tu ipse Domine, qualibet oratio-
ne absolutâ, ter eos excitares,
prædixeras illis traditionem ab
vno ex discipulis, angorem ani-
mi, & in cœna, & post cœnam,
sermone tuo longo patefecisti,
de morte iam iam imminente
tua, præmonuisti, & tamen nihil
eorum, eos ad vigilantiam com-
mouit: sic enim loquitur Euan- Luc.
gelista. *Cùm surrexisset ab oratione,* 22.
& venisset ad Discipulos suos, inue- x.45.
nit eos dormientes præ tristitia, & ait
illis: quid dormitis? surgite, ora-
te, ne intretis in tentationem. Qua-
lis iste somnus præ tristitia, quæ
aliás somnum excludit? Nam
commotio animi impedire solet
quietem. O magna benignitas
tua, & summa ingratitudo hu-
mana: nonnè te mœstum vsque
ad mortem publicasti? nonnè
proditorem venturum indica-
sti? nonnè vale vltimum illis di-

xisti? tamen somnus occupauit membra, & tristitia causa fuit tantæ debilitatis. Compassio tua CHRISTE, declarauit originẽ soporis, dum eos alloquendo, grauedini corporis, non spiritui adscriberes, dicens: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quæ sententia non solis Apostolis conuenit, rectiùs nobis, & tibi præcipuè anima mea, apud quam & spiritus infirmus debilisq; quantò magis caro? Dominus visitando discipulos, ter verbum illud, *Vigilate*, mentibus illorum imprimere voluit: innuendo fortassis, omni tempore necessariam esse vigilantiam, & omni ætate custodiendam, nec adolescentia careat vigilantiâ, nec adulta ætas cesset à vigilantia, nec senectus obliuiscatur vigilantiæ. Nec tantum dormientibus Discipulis, præcepit vigilantiam CHRISTVS, sed & ante vigilantibus: *Vigilate*

Mat. 26. v. 42.

late ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniet, sero an mediâ nocte, an galli cantu, an mane? nê cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes: quod autem vobis dico, omnibus dico: *Vigilate.* Quatuor tempora assignat vigilantiæ, sero, vt in decrepita ætate, & mundo declinante ad corruptionem, vigilemus. Mediâ nocte, vt inter tot hæreses, & scandala, tentationesq; varias positi, vigilemus. In galli cantu, quando omnia ad nutum, & prospera accidunt, vigilemus. Mane, in florida ætate, in summo gradu sanitatis constituti, vigilemus. Nihilq; expressius addit Dominus, nè fortè solis Discipulis dictum videretur, *Omnibus dico, vigilate.* Remedia contra dormitionem, quâ intratur in tentationem, tanquam duo scuta assumenda edocuit, nimirum Vigilantiam & Orationem. Suntq; Marc. 13. v. 37.
hæc

hæc duo ita coniuncta, vt neq; oratio sine vigilantia, neq; vigilantia sine oratione, emphasim apud cœlum habeat: imò non tantum vigilantia corporis, verum mentis & intellectûs necessario adhibenda. Inspice tuam vigilantiam & orationem, anima mea, quia nec vigilas vt decet, nec oras vt debes: nam si vigilas, in opere Dei deprimeris, & somno pigritiæ opprimi te leuiter finis, si oras, quales tuæ preces! vel vagabundæ vel labiorum motione tantum notandæ, vel quod maius & peius, peccatorum cogitationibus impeditæ, vt prorsus iuxta Prophetam. *Oratio tua fiat in peccatum*. Quales tuæ vigiliæ! non citius declinas ad somnum, quã in ipsa oratione, & vigilantia vnius horæ, in seruitio Diuino totius diei tempus imaginaris, & ê contra. Confusa ergo anima mea, doctrinâ Christi, gemens im-

implora gratiam eius, vt tandem tibi sedulam vigilantiam, & ardentem orationem donet, discendo: Fac me Domine vigilare, cum tu vigilas pro nobis, excita me à somno desidiei, sicut tuos discipulos, exprobra vt Simoni: *Sic non potuisti vna hora vigilare mecum?* & ego vix momento vigilare possum ad mandata tua: suppleat ergo misericordia, nec permittas me sopore illorum grauari, qui nihil inuenerunt in manibus suis, auerte à me somnum; ne tum dormiam, quando Iudas infernalis veniendo me ex horto corporis mei desperatione eripere conabitur, imo excita torpentem; & exemplo tuo ad vigilantiam, & corpus, & spiritum dispone, immisso vt in Apostolos Spiritu Sancto, quo superueniente, caro infirmitate caruit, & spiritus suã promptitudinem carni debili cõmunicauit. Promeruerat tua

passio, CHRISTE, aduentum Spiritûs Sancti in eos; vnde repentè corda eorũ velocia, ad decurrẽdam viã mandatorũ tuorũ, extiterunt. Eadem passionis tuæ efficacia, vtinam & spiritus meus, Spiritu tuo Sancto cooperante, & socium corpus, videlicet, alacritate spirituali induat, vigilantemq́; , ac orantem, assiduè reddat, tandem etiam vterq; tuę mortis pretio, ibi post mortem compareat, vbi perpetua vigilantia nullo somno interrumpetur, nec oratio laudum tuarum decantatrix, vllâ lassitudine conquiescet.

CAPVT XI.

Vigilantia Iudæ, & strepitu plenus ingressus eius in hortum.

PAtientissime IESV, Tua admonitio non fuit tam efficax vt dormiẽtes discipuli vigilarẽt, &

& Diabolus, Iudæ mancipio ſuo illam vigilantiam inſufflauit, vt non guſtato ſomno, te vendere in ſomnis voluerit. Comparaſti tu Regnum Cœlorum fermento, habet & Orcus ſingulare quoq; fermentum: tu tuo fermento, non adeò Diſcipulos oppleuiſti; inimicus animæ effudit totum fermentum in proditorem, & ſuccelsit ad mentem. Fermentum hoc fuerat vigilãtia, eſt enim via quædam ad cœlum, eſt & ad infernum: acrius ergo fuerat Diabolicũ fermentum, viâ enim latâ celeriter deſcendit Iudas in gehennam: tuo fermento tacti Diſcipuli, vix tandem poſt negationem, & diſperſionem à te, proprio ſanguine effuſo, iter cœleſtę inuenerunt. Inde canit lugubri tono Eccleſia, recolendo circuitum annuum tuæ paſsionis, in perſona tua, ad Diſcipulos: *Vnâ horâ non potuiſtis vigilare mecum:* qui exhortabamini mori Mat. 13. v. 33. Mat. 14. v. 37.
 pro

pro me. Vel Iudam non videtis, quomodo non dormit, sed festinat tradere me Iudæis, incusabimus fortè Iudam, quòd eo tempore non dederit se quieti, (felicissimum enim somnum quilibet appellare potuisset) & voce & affectu execrabimur illius vigilantiam, & tamen (proh dolor) Iudam imitamur, dum choræis, dissolutionibus, occasionibus peccandi, ita inuigilamus, vt noctes integras sine somno decurramus. Ad orandum autem, si semel, aut bis in anno surgamus diluculò, vt laudibus nomini tuo dedicatis assistamus, quàm oscitantes, pigri, desides comparemus? Quis scit an non mysterio vigilantis Iudæ, & somni Discipulorum, figurâ, Ecclesiam tuam adumbraueris, Domine? cuius Pastoribus ac Rectoribus sæcularibus & spiritualibus, sopore negligẽtiæ oppressis, vigilabant sectarum diuersa-

rum inuentores, in magnamq; segetem excreuerunt; non enumerando vigilantiam antiquorũ Hæresiarcharum, somnolq; veterum Pastorum. Ecce recens Lutherana, & Caluiniana peruersa doctrina, conspurcauit Ecclesiam, illis qui euellere tempestiuè debuerant, ingrata semina, vel permittentibus, vel non resistentibus. Et in nostra Polonia, hæreses eâdem somnolentià Catholicorum, propagatæ (quod dolendum) sunt. Machiauelli interpretatione instar Euangelij allegata, libertate vesanâ id prælegente: Ob bonum pacis. O verè filij tenebrarum prudentiores filijs lucis! vtinã tandem è somno excitentur Præpositi Ecclesiarum, vt tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad Cathedram. Sed & tu anima mea, vigila, neque in hortum cordis tui permittas intrare vigilantem Iudam

proditorem tuum, ad minimam tentationem non succumbas signo & somno consensûs, verùm nitaris vigilantiæ repulsu. Ita Christe, tuis dormitione in horto detentis, furiæ infernalis Dux Iudas, & caterua illa militum, insolentiâ delectorum, irruit in locum tuæ orationis, & strepitu ingenti impleuit aërem, & hortum, ipsis spiritibus malignis clamorem & fremitum, vt cooperatoribus, timor & tremor excusserat Discipulis somnum, & pallantes dispersit, audiebantur vlulatus varij, strepebant catenæ ferreæ, ligna & fustes concrepabant, omnia funesta arma in te vnum collimabant. Antesignanus Iudas præibat cohorti sanguineæ, teq; vnum petebat, vt tandem perfidiæ suæ satisfaceret, & te in manus inimicorum traderet. Considera, anima, illum strepitum in horto, ad quem & cœlum & terra contremuit.

muit. Et humillimè supplica, per illum horrorem, & impetum aduersariorum Saluatoris, ne in vltima hora exitus tui, tuba illa terribilis, dormientem te reperiat, & spiritus tuus recollectione peccatorum admissorum conturbatus, in egressu tuo ex horto corporis, malorum spirituum irruptionem, & timorem expauescat, iam rumina sæpiùs, & illum ingressum Iudæorum in hortum Domini, & tuum egressum è sarcina mortali. Propter te illa irruptio in CHRISTVM facta, ne te ille Leo, qui rugiens circuit, vt deuoret; assiduo vigila, recogitando intellectu formidinem futuram in agone, id si feceris, concedet tibi Redemptor somnum spiritualem, vt absorpta in illo, & pafsionis eius amaritudine immersa, obliuiscaris sensualium, & carnalium omnium appetituum, ac suauifsimo compafsionis liquore, in so-

po-

porem suauissimum resoluta, omnem carnis, & mundi delectationem, fœditatemque reijcias. Roga vultu demisso Dominum, vt merito captiuitatis eius, vinculis peccati soluta, in libertate perenni, ab illa collocata, in æternum læteris.

CAPVT XII.

CHRISTI Prolocutio, Ego sum: & Iudæ Iudæorumq; supina recessio.

PAtientissime IESV. Certè omnia tua facta in admirationem rapere possunt vniuscuiusq; cor, vt & tua dispositio, (antequam Iudæi explerent odium) contra te profundè animo imminenda: Primò enim antequã capereris, timebas, tristitiamq; cordis non celabas, iam vltrò procedis, excipis eos, & alloqueris: ita enim sublimis aquila de

la de te. IESVS *itaq; sciens omnia,* Ioan. 18. v. 4.
quæ ventura erant super eum, proces-
sit, & dixit eis: Quem quæritis?
Ecce quasi admones, & corripis
latrones ad te venientes, &
quale facinus committere me-
ditabantur, prauo affectu expe-
dirent, maleuoloq; effectu, In-
nuere voluisti, quæritis me Iu-
dæi? Ecce sum Sed simul sum
& DEVS & Homo. Vtrumq; exe-
cutus es potestate, etiam inter
ipsam resignationem ad humili-
tatem & captionem tuam reser-
uatâ, priùs tamen voluisti, vt di-
cerent, & ore proprio confiteri
possent, quisnam tu fueris? ad
responsum illorum, esse te IESVM
Nazarenum, quem quærebant,
solumq; hominem imaginaban-
tur, vnico verbo: *Ego sum:* de- Ioan. 18. v. 5.
iecisti eos in terram, & omnipo-
tentiâ Maiestatis tuæ etiam ve-
latâ, abire retrorsum coëgisti:
Iterum ergo interrogas illos, an
eundem quærerent, quem ex
tan-

tanta potentia DEVM agnoſcere potuiſſent, at in profundis ignorantiæ tenebris occupatis cordibus, fruſtra erat etiam miraculo reſipiſcentiã ingerere: nam tua voluntas, quâ te pro nobis obtuliſti, obcœcauerat, mediante inferno, mentes Iudæorum, & Coryphæi Iudæ: Ergo primò, *Ego ſum*, oſtendiſti te DEVM verum. & à conſpectu tuo, tanquã peccatores indignos vultu tuo repuliſti; ſecundò, *Ego ſum*, declaráſti te, & hominem eſſe, & non tantùm non retro cadere lictores feciſti, verùm & capi te voluntariè permiſiſti. Priuſquã mortalitas tua texiſſet Deitatẽ, quanta energia verbi tui, *Ego ſum*, fuerat. Moyſes etiam locũ pedibus tangere prohibitus, vnde illa vox audita, *Ego ſum*, fuerat: Poſtquam verò Verbum Caro factum eſt, ſtatim cùm de Abrahamo dixiſſes: *Antequam Abraham fieret, Ego ſum*: vix non

Ioan. 1. v. 14

Ioan. 8 v. 55.

la-

lapidib9 obrutus. ſubducere te de templo, coactus es, nunc verò dicto eodem verbo, *Ego ſum*, hora & tempore deſignato, & capi & crucifigi voluiſti, in domo Annæ dicendo. *Ego palam locutus ſum.* Ita contemptum hoc tuum verbum, *Ego*, vt alapa ferrea deſpexerit illud. Veniet tempus quo dices: *Ego ſum*: in Iudicio extremo, areſcent homines præ timore, ipſiq; Angeli & *Sancti* contremiſcent. Sed cur iam & DEVS, & homo dicendo, *Ego ſum*, tam facilem te ad capiendum præbuiſti, & in iudicio talis DEVS, & homo licet eris: tamen, *Ego ſum*, proferendo, difficilem te exhibebis, ad ignoſcendum? Non alia cauſa, niſi quod iam miſericordiã & amorem, tuâ paſsione manifeſtaſti, ibi autem iuſtitiam & timorem mundo patefacies. O quali fonte lachrymarum indigerent oculi, anima mea, dum

De-

DEVM omnipotentem, infinitis offendis sceleribus, licet scias omni loco, omni tempore, omni occasione, illum præsentē adesse, tibiq; in aurem insusurrare, *Ego sum*. Tu vero abijcis te retrorsum ad terrena, & non permanentia, longeq; à DEO recedis. Iterum te sæpius interrogat: Quem quæris, misera anima? Nonnè scis omnia esse vt stercora, caduca, in ictu oculi transeuntia? Ego sum, qui sum, ego te creaui, redemi, & extensis brachijs expecto te: Veni ad me amica mea, hîc requiesce sub vmbra alarum mearum. Et tu repellis tales inspirationes, anima, & desideria, siliquis vt porcus, vt subulcus in longinqua & aliena terra, mauis pasci, quàm in domo patris, & benefactoris tui manere, vbi abundantia panis & pacis. Ad quodcunq; opus tuum, quo te occupari destinas, seruiat tibi pro exci-

citatorio illud verbum Dominicum: *Ego sum*: Etiamsi enim vbiq; sit DEVS, tamen in hac vita leniter præsentiam suam adesse sentiunt homines, adstat quasi dissimulans peccata mortalium, nec agnoscitur nisi per flagellum immissum, potentia & præsentia eius. Vti Antiochus, qui cùm sensisset manũ Altissimi, exclamauit: *Iustum est, subditum esse Deo*, & mortalem non paria DEO sentire: & Herodes, cùm à vermibus viuus consumeretur, fassus est præsentiam DEI adfuisse, at vltricem. Per dolores CHRISTI, anima mea, demissè ora, dicendo: Redemptor mi, adsistas mihi in agone extremo, paterno affectu, vt merear audire vocem tuam, *Ego sum Pater tuus, & Pater misericors*, Et ego respondeam: Ego Filius tuus, quamuis indignus, & immorigerus fuerim, expecto donec hæreditatis tuæ me participem reddes, non meis

peccatis debitam, sed tuâ inexhaustâ charitate, mihi promeritam.

CAPVT XIII.

Osculi signo à Iuda completa traditio Christi, & eius amica responsio.

PAtientissime IESV, Benignitas tua, non tantùm eleuauit ad terram allisos Iudæos, sed & ad te capiendum manus soluit, & Traditori Iudæ, osculum non declinauit. O quanto horrore iunctis lacrymis, anima Catholica corripi debet, considerando illud abominabile osculum? Vnde tessera proditionis, osculum, Cuius inuentum, vt falsa amicitia osculi specie in venenum transformaretur inimicitiæ? In vltima cæna, vt supra dictum est; sumpto indignè pane, & cibo cœlesti Iudas, post buccellam porrectam à CHRISTO, intrauit in

in eum Sathanas; iste Magister inuentorq; signi huius pestiferi, iam enim obsessus & possessus à Dæmone, quid aliud quàm illius cantilenam canere debuit, pacto se obligando, Iudæis dicens: *Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè* Mat. 26. v. 49.
Quàm circumspecta & artificiosa admonitio, nec immeritò, modus ac circumstantia describitur proditionis per os Iudæ, ex instinctu Doctoris malitiæ; Possemne te Domine interrogare, quid te magis indignè affecerit, an osculum Iudæ, an subsequens scelerata illa alapa in domo Pontificis? Vtrumq; in gradu supremo execrandum, ignoro tamen quid leniùs ex his duobus? in alapa dolor acer, in osculo summus fætor: ibi generalis confusio, hîc inaudita ingratitudo: ibi adulatio ignominiosa, hîc duplicitas cordis criminosa: ibi sanguineus tumor faciei, hîc inso-

solita cõturbatio, & cōmotio viſcerum: ibi interrogatio fallax, hîc vulpina Magiſtri appellatio: ibi reſponſum CHRISTI reprehenſiuum, hîc ad reductionem amicitiæ verbum affabile. Si viri Sancti multi hoc dono à DEO donati fuêre, vt ex halitu ſolo, peccatores & ingratos ſuperis, agnoſcere potuerint, veluti de S. Policarpo legitur, cùm ei fortuitò obuiam veniſſet Martion Hæreſiarcha, & diceret: Cognoſcis nos? Reſpondit: *Cognoſco primogenitum Diaboli.* Et S. Antonius Abbas, ab Hæreticorum & Schiſmaticorum hominum, maximè Arianorum congreſſu, & colloquio ſic abhorrebat, vt ne propè quidem ad eos accedendum diceret, & alijs pluribus Sanctis id euenit, ex odore malo, & ore ſordido prodiderunt reprobi à DEO, immunditiem intùs latentem. Quid putes, anima mea, CHRISTVM per-

tulisse, dum os ipurcum leprâ infernali, & tabe proditionis infectum, sacrosanctis labijs, & odorem suauissimum, redolentibus applicare mansuetudine summâ permiserit? Narrat Regius Psaltes de peccatoribus. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Aptissimè conueniebat ori Iudæ: quod sepulchrum fætoris grauitatem, maledictionemque gehennalem spirabat. Et tamen quàm humana responsio Domini. *Amice, ad quid venisti?* & Iuda, *osculo filium hominis tradis.* Ac si dixisset: Video te & amicum, & clientem meum, quem enutriui, venisse, & quidem cum osculo, quis aliud, nisi amorem & beneuolentiã sperasset? Et tu instrumentum charitatis mutas, in acutum ferrum traditionis? venisti, vt me signo osculi ad supplicia inimicis, extraderes: verè *meliora sunt vulnera amantis, quàm oscula blandientis.* Promeruine ego hoc, qui

Psal. 5. v. 11 & Psal. 13. v. 3.

Matt. 26. v. 50.

cùm fuerim doctor veritatis, &
Mat. synceritatis, edocuite, & alios:
6. v. *Sit sermo vester, est, est, non, non;*
37. neq; aliter instruere poteram,
cùm sim filius hominis, & Filius
DEI, quem tu nosti, tu verò aliter interpretaris meam doctrinam & instructionem? Rabbi me quidem vocas, osculo verò, velut lanceâ proditionis transuerberas cor? Non profuit obstinatæ menti vltima correctio, ibat in prauis adinuentionibus suis Iudas. Figurabat mundum, qui amantes sui osculo voluptatum, deliciarum, ac variarum illecebrarum osculatur, vt deleat; blanditur vt occidat; verè impletur in mundo illud: *Pax non Pax*: sæpissimè sub specie amicitiæ, maximæ insidiæ metuendæ. Infinita huius rei exempla, tantùm ex antiquis vnũ de Ioab, proponatur: qui cùm
2 Re. Amasam vidisset, dixit: *Salue*
20. v. *mi frater*, & tenuit manu dextra
9. men-

mentum Amasæ, quasi osculans eum, porrò Amasa non obserua-uit gladium, quē habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundùm vulnus apposuit, & mortuus est. Ecce in ipsa amicitia crudelis laniena. Anima mea, circumspicias sæpiùs cogitatione, qualia sunt mundi oscula, quibus tanquam hamo, in sagenam perditionis attrahat mortales, caueas, nē hac arte decipiaris: potiùs aduolue te ad pedes Saluatoris, rogādo per humilitatē, in osculo proditoris Iudæ admisso, vt te non impediant in hoc mundo oscula vanitatum, quæ tanquam fumus prętereunt, quominùs ad illud osculum pacis peruenias æternæ, vti desiderat Sponsa in Canticis: *Osculetur me osculo oris sui.* Quis nisi tu sponsus meus, CHRISTE. Can. I.v.I.

CA-

CAPVT XIV.

Auris Malchi à Petro gladio abscissio, & CHRISTI redargutio, aurisq́ restitutio.

PAtientissime IESV. Ita iam in prędam cessisti inimicis tuis, Fuitne inuentus, qui te defenderet, & pro te decertaret? Non: vnus quidem Petrus, animositate exiguâ excitatus, gladio ferijt Malchum, & auriculã eius dextram abscidit: sed quid profuit tibi talis ictus! Inualida prorsus fuerat defensio, quæ etiam tuis displicuit oculis. Attamen quare reprehenditur audacia Petri, Domine? Fortè Martyrum tuorum, & à te delectorum, viam ostendisti, doctrinamq́ reliquisti, ne se gladio tuerentur, cùm pro te & fide tua, Tyrannorum sæuitiam, tormentaq́ experirentur; tu enim

Do-

Domine, antequam passionis tempus à te ab æterno designatum aduenisset, modò te occultabas, modò per medium Iudæorum ibas, modò declinabas aliò, cedendo furiæ eorum: vbi verò hora illa terribilis comparuit, vltrò exijsti, & te in manus Iudæorum, volens dedidisti, nec vllam defensionem admisisti. Stabant duodecim legiones Angelorum armatæ, ad tuendum te, vt ipsemet Petro declarasti: Discipuli quoq; parati erant, vt pro te decertarent; nonne numerus illorum potuisset conterere omnes cohortes Iudæorũ? Tu Domine, id fieri non permisisti, potiùs Angelorum zelum imperio cohibuisti, & immotos eos videre te captiuum mandasti; Discipulorum verò corda à timore occupari permisisti, vt magis de fuga, quàm de auxilio tibi ferendo, cogitarent. Exemplum tuum secuti Martyres, & in an-

in antris, & in desertis locis de-
litescebant, ac sese occultabant,
priusquàm voluntas tua eis con-
staret, illâ patefactâ cœlitùs, &
milites & Legiones integræ sub
iugum Martyrij missæ, impaui-
do corde conseruabant, absq; re-
sistentia, patientiam. Instruebas
ergo eos, nè & ante tempus mar-
tyrio se obijcerent, vti Petrus fe-
cerat, qui volendo tibi commo-
ri, ter te negauerat, & tempore
martyrij assignato, liberè se tor-
toribus presentarent. Illa nihi-
Mat. lominùs tua sententia timore di-
26. gna: *Omnes qui acceperint gladium,*
v. 52. *gladio peribunt* Homicidia, & con
tentiones ad sanguinem redar-
guebas: quæ si alibi, certè hîc
in Polonia creberrima, maximè
inter conuiuia, & quæ non gla-
dio, sed marsupio puniuntur:
Quare ergò Petrus, qui gladio
percussit, non gladio perijt?
quia te defendendo eum edu-
xit, non tamen immunis à vio-
len-

enta morte, potiùs ſocius tuæ
paſsionis. Sicut enim tu Domi-
ne, in cruce mortem ferendam
elegiſti, ita eandem tuo defen-
ſori, licet inuerſo capite, deſi-
gnaſti. Quærere etiam aliquis
poſſet, quæ cauſa, quòd & dex-
teram auriculam abſciderit Mal-
chi Petrus, & tu eam ſanaueris
applicando? Primum à te CHRI-
STE, fundamentum in ſede Petri
conſtitutũ fuit, multos Malchos
pſeudofundamentaliſtas excre-
ſcere prouidiſti: qui in plurimo-
rum aures, falſum Euangelium
immittere debebant, neceſſe e-
rat, vt tuum Euangelium auri-
culam dexterã abſcinderet, non
quidem gladio materiali, ſed ex-
plicatione vera Euangelij, quod
eſt gladius ſpiritualis, hic abſcin-
dit omnes errores, & damnat,
vnde confuſi abeunt, abibuntq́;
omnes; Malchi, falſi Euangelij
diſſeminatores: tu tamen pluri-
mos ſanas, & aurem, dexteram
ſalu-

salutis restituis, & nunc, & in fine mundi, vbi erit vnum ouile, & vnus Pastor. Vellem adhuc doceri, cur Petrum, CHRISTE, redarguisti, qui amore tui, in discrimen vitæ se coniecerat? Mysterium magnum, fortaßis quòd Ecclesiam tuam, non effusione alieni sanguinis, sed proprij, crescere voluisti: non ita infernus; ad oculum patet: per tot annos Caluinianam & Lutheranam sectam, augmentum suorum errorum, gladio & cruore aliorum ædificare, deuastationibus, & deprædationibus crescere, vsurpatione alienorum dominiorum dilatare, & quod magis mirandum, non semel in Pinaculis Synagogarum, loco Crucis tuæ Sanctißimæ, visus gladius impositus, quo signo qualis sit doctrina omnibus ostendunt; & quem gladium tu Domine, absq; sanguine, ex tua gratia, à nobis amouisti: cum
ipsi

ipsi educere vesano affectu co-
nantur. Anima mea, perpen-
dens hæc omnia, procide coram
Crucifixo, dicendo: *Sana Do-
mine, aurem meam, quæ varijs
oblectationibus abscissa, & se-
parata à te, occupabatur, vanas
cantilenas, obscæna verba, li-
benter admiserat, restitue illi sa-
nitatem, vt suauitate concentûs
mandatorum tuorum, hîc & in
futuro sæculo, delectari possit.
Angelorum verò Legiones, &
auxilium Discipulorum tuorum,
non detineas in furore tuo, ve-
rùm cum ad capiendum me in-
fernus dilatauerit os suum, ma-
ximè in vltima hora discessûs
mei, defendar protectione vtro-
rumq;, vt post mortem præpa-
rem aurem ad concinendum hy-
mnum lætitiâ plenum, cum o-
mnibus Sanctis tuis, & per tu-
am mortem, eripiar à morte
æterna.*

CAPVT XV.

Fuga Discipulorum, & timor, solo CHRISTO *inter Iudæos & milites relicto.*

PAtientissime IESV. Post exiguam resistentiam, & quidē vnius Petri, omnes Discipuli in fugam effusi, & dissipati, nec Maiestatis tuæ reuerentia, nec dilectio, quam tantopere eis cōmendasti, assistentiam & societatem passionis, illis persuadere potuit, timor præualuit: sine gratia Diuina, quantum potest in humanis cordibus, prototypon nobis exhibitum, illi enim ijdem Apostoli, qui iam latibula quærebant, postea illuminante eos gratiâ Diuinâ, ac CHRISTO roborante, ingentia tormenta, tanquam Leones imperterriti, perculerunt; noluit Dominus, vt aliquis eum iuuaret in illo prælio cum Goliath infernali suscepto.

figura erat in Dauid, cum ille solus, non armatus gladio, & thorace Saulis, processit obuiã hosti improperanti genti Iudeæ, baculo solo assumpto, & quinque limpidissimis lapidibus tantùm, deiecit in terram aduersarium, de eiusque spolijs triumphauit: sic planè CHRISTVS, generis humani hostem, non indutus armaturâ cœlesti, relictâque, vt dictum supra est, militiâ Angelorum, accepto baculo Crucis, ac quinque vulnerum apertione, contriuit: ideo de se apud Prophetam ait Dominus: *Torcular calcaui solus*, neminem adiutorem adhibuit, non Cœlum, non terram, quæ omnia tunc contra illum conspirauerant, eo itaque maiori vi aggressus prælium, & solus inuasit Luciferũ, & solus deeo triumphũ obtinuit. Quærendũ tamen est, vnde tantus pauor discipulorũ, & iactantia cõpassionis coram CHRISTO, versa in Isa. 63. v. 3.

fugam, & negationem? Nihil frustra factum est circa passionem Domini, non enim acceptum illi est, si quis proprijs viribus fidens, defensionem eius & fidei suscipiat, qui omnia verbo creat, & omnia perdere potest: humanâ erant freti Discipuli audaciâ, quæ respectu Diuinæ nulla, & cùm maximè de victoria polliceri sibi videtur, ruit in confusionem; si enim Discipulis mens illa fuisset, & sic inuicem ratiocinari voluissent. Itane DEVM & Dominum nostrum, relinquimus? dixeramus ante: *Ad*
Ioan. 6. v. 68. *quem ibimus, verba vitæ æternæ habes?* Iurauimus priùs ad mortem ipsam non deserturos illum, & iam omnia aliter à nobis geruntur, maluimus fugere, & latebras quærere, quàm tam bono Domino adhærere! Timor & inconsiderata voluntas abripuit aliò, obliuioneq; sepeliuit, & beneficia collata, & amorem reci-
pro-

procum promissum. Eheu anima mea, reuolue cogitatione, quàm sæpè derelinquis DEVM tuum, & fugis ab eo peccando: non consideras dona quæ singulis accipis momentis: non reducis in memoriam pactum tuum in baptismo cum DEO tuo: non benè proponis & inculcas memoriæ tuæ, quid sequetur perpetrato peccato, non comparas vnum instans vitæ tuæ, cum æternitate sine fine. Post fugam Discipulorum, solus CHRISTVS inter duplices hostes relictus, tanquam Agnus inter feroces bestias, circumdatus seuitiâ & crudelitate eorum. Quæ mens angustias pectoris Diuini tum temporis considerare dignè poterit, Creatorem cœli & terræ, & hominum, ab omnibus derelictum, in manus ferocissimorum aduersariorum deuenisse? Quæ societas Agni cum Leone, inferni cum Cœlo, vitæ cum morte, bo-

nitatis cum malitia? mansuetudinis cum ferocia? Ideo Ecclesia in persona CHRISTI, die Parasceues, flebili cantu intonat: *Omnes amici mei dereliquerunt me, & præualuerunt insidiantes mihi, tradiderunt me in manus impiorum, & inter iniquos proiecerunt me, & non pepercerũt animæ meæ, congregati sunt aduersum me fortes, & sicut gigantes steterunt contra me.* Quis meliùs describere posset malignorum cum CHRISTO tunc coniunctionem? De Domino dictum est:
Psal. 18. v. 6. *Exaltauit vt gigas ad currendam viã:* & iam non ipse gigas, verùm inimici gigantes effecti. Amor hoc effecit, vt gigas Cœlestis, paruus & inermis appareret, imò vermis, ac opprobrium plebis. Iudæi autem milites magni, ac generosi viderentur. Tu ergo anima mea, defigendo oculos mentis in Saluatorem, circumdatum à Iudæis & militibus, demissè roges Dominum, dicendo:
Con-

Conforta me gratiá Spiritûs San-
cti, ne te deſeram, neq; à te fu-
giam, quo enim ſine te vadam?
Si enim aſcendero in cælum, tu illic es, Pſal. 138. v. 8.
ſi deſcendero in infernum, ades: Tu
quidem potes eſſe ſine me, at
ego vbi ero ſolus ſine te? Væ
ſoli, cùm enim ceciderit, quis
eum eleuabit? toties cado, &
demergor in profundum bara-
thri: ſi tu me non eleuabis, quis
meus adiutor? Coniunge ergo
me tibi totaliter, CHRISTE, nexu
Paſsionis tuæ, vt nunquam à te
ſeparer, nec hîc per deſide-
rium, nec in cœlo per
ſaturnitatem.



ACTA

ACTA CHRISTI tempore Pafsionis.

LIBER SECVNDVS,

CAPVT PRIMVM.

Iudæorum in CHRISTVM irruptio, & mala tractatio.



Atientifsime IESV, Ingreffus es iam tuam paſsionem, cùm ſolus & traditus, & relictus fuiſti perſequentibus te. Quis exprimere verbis poſſet, quid illo aſſultu in te à Iudæis factum? quis hoc intellectu verſare præſumet, & lachrymarum ſiccitate prædominante, trãſibit oculis non madidis, conſiderationem principij tuæ Paſsionis? Pater tuus dere-

liquit

liquit te, propter tuam ſubmiſ-
ſionem, quâ te ſatisfacturum,
pro grauiſsimis mundi ſceleri-
bus, deuouiſti: Diſcipuli auſu-
gerunt conſternatione occupati:
Angeli non ſuccurrerunt, à ſu-
premi Numinis poteſtate, & mã-
dato detenti. Præuidiſti tu hæc
omnia, CHRISTE, & per Prophe-
tam Regium, à te dictum ad Pa-
trem: *Ecce ceperunt animam meam,* Pſal. 58. 3.
irruerunt in me fortes, neq; iniquitas v. 4.
mea, neq; peccatum meum. Domine,
ſine iniquitate cucurri, & direxi: A
quo capta eſt anima tua, Redem-
ptor, in quam habuiſti poteſta-
tem ponendi eam, & iterum ſu-
mendi eam? duo diuerſi licto-
res, vnus Charitas è Cœlo, alter
peccatum è terra, peccatum cau-
ſa prima, quod commiſeratione
deformitatis ſuæ, detraxit cha-
ritatem è Cœlo, quâ inebriatus
gigas, egreſſus ad currendam
viam, inopinatò circumventus,
& in opprobrium inurbanæ mul-
titu-

titudini, tanquam maximè reus, datus. Ideo adiecisti Domine: *Neque iniquitas mea, neq; peccatum meum.* A peccato origo, sed alieno, iniquitas non propria, sed mutuata, & ab illis accepta, qui cum Dauide verè incusare pos-
Psal. 37. v. 5. sunt, seipsos deplorando. *Quoniam iniquitates nostræ supergressæ sunt capita nostra, & sicut onus graue grauatæ sunt super nos.* De Salua-
Luc. 23. v. 41. tore autem loqui decet: *Hic autem nihil mali fecit.* Quare ergo
Psal. 58. v. 5. capitur, & diripitur? *Sine iniquitate cucurri & direxi:* ac si dixisset Dñus, Charitas sola me prodidit, charitas ista me & dicere, &
Luc. 22. v. 15. facere coëgit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare*, & occidi pro peccatoribus: Charitate præeunte, obuiam processi Iudæ & Iudæis: charitate persuadente, vinci me, passus sum & tam atrociter comprehẽdi: charitate comitante, supplicia & tormenta grauissima pertuli: chari-

ritate ſequente, & perſequente, & perſeuerante, flagellatus fui, coronatus, cruci affixus, & morte tandem obſignaui fortitudinem charitatis: Inſignia tot mihi in captura prolata à charitate, in quibus ita mihi complacuit, vt enumerarem illa: *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus, & lignis, comprehendere me:* Mat. 26.
Gladij mortem, fuſtes vapulationem, ligna redolent contuſionem. Euadere potuiſſem, ſi voluntas mea acceſsiſſet: nonne ille ego ſum DEVS & homo, cùm docerem in Synagogis, cùm inſtruerem in Templo, cùm in montibus concionarer, & tamē non me cepiſtis? Verba ipſa CHRISTI non aliter ſonant. *Quotidie apud vos ſedebam, in templo docens, & non me tenuiſtis.* Cur hoc? Non impleuerat tunc finem redemptionis exceſsiua charitas, iam plenâ menſurâ ebibit in calice ab Angelo porrecto charita- Mar. 14. v. 49. Mat. 26. v. 55.

tem, statimq; in gladios & fustes, & ligna ipse se ingerit, & male tractatur: vt dicere posset: *Irruerunt in me fortes*. Quos armauit charitas, quæ fuit adeò fortis vt omni defensione ipsâ fortitudinem exspoliaret. An non fortes, cum quibus & cælum & terra & infernus, vires suas & permittendo, & operando, & cooperando coniunxit? An non fortes, qui fortissimum Samsonem blandiente charitate & abscisis crinibus demonstrationis potentiæ Diuinæ, tanta cæ-
Isai. 53. v7. citate, percusserunt, vt oblitus virium suarum *velut agnus coram se tondentibus obmutuerit*? An non fortes; qui, secundam personã Deum, vt hominem, inaudito exemplo vitâ priuarũt? subiũgit deniq; CHRISTVS, *Cucurri & direxi*. Summâ alacritate inuitante, eâdem charitate cucurrit vsq; ad mortẽ & mortẽ crucis, direxitq; passionẽ suã ad saluãdas quæ pe-
rierant

rierant animas. Tu anima flendo demissè, dic: propter me Domine tuam occultasti fortitudinem vt imbecillum clypeo tuæ infirmitatis solidares? In exitu meo à corpore, sis mea fortitudo, & si irruent in me fortes, repellas insidiantes mihi hostes, victoremq; illuc introducas quo direxisti saluandos per merita Tormentorum tuorum, multos: vtinam & ego anumerer illis, quorum nomina scripta in cælis.

CAPVT II.

Nuncius de captiuitate Filij dilectissimi quo dolore à MARIA exceptus.

PAtientissime IESV. Anxiè sciens Mater tua à te ipso, de te breui tradendo, expectabat Nuncium, & simul secundùm ictū gladij à Simeone prædicti, augmentum & circumstantia captiuitatis tuæ tempore aggraua-

bat mærorem, cum quasi linceis oculis, charitate ostendente hæc omnia, quæ tibi dirè à Iudæis euenerant, instrueretur, & quia nihil te latebat, nec ipsam latuit; relatio enim fuit vt amoris, sic & doloris: iam te hactenus MATREM CHRISTI appellabāt omnes: nunc titulo tuo addetur, vt incipias nominari, *Dolorosa Mater*, quâ enim fronte, & quibus oculis, ac quo corde exceperis de captiuitate filij tui tabellarium, auderem quidem interrogare, at vereor, ne silentio tristitiam potiùs quàm verbis exprimas, rogarem magis, ô Dña, vt cordi meo firmiter imprimas. Ego mihi tamen imaginor, tibi patuisse illo puncto, quo mansuetissimus Filius tuus, circumuentus à couentu fuit malignantiū, duos q; nuncios ad te missos ex filio, vnum per palantes discipulos, alterum per reuelationem intrinsecam à Filio: ita enim amor coniunxe-

rat, & maternus, & à Spiritu San-
cto infuſus, corda filij & Matris
vt communia glorioſa, gaudioſa,
doloroſa, viderentur myſteria.
nam ſi minoribus ſanctis, ſæpiſ-
ſimè tanta fuit gratia cælitùs da-
ta & conceſſa, vt quod à longè
agebatur, ipſorum diſtantibus o-
culis vicinum compareret: Quid
de Matre, & tali Matre, cogitan-
dum? Forte in canticis de hoc
infelici horto ſcriptum legitur:
Veniat dilectus meus in hortum meum
& comedet fructus pomorum ſuorum.
MARIA, quæ tanquam prima cau-
ſa poſt DEVM Patrem, amore de-
traxit è Cælo te Redemptor, ea-
demq; inuitauit ad hunc hortum
lugubrem, vt comederes & cō-
coqueres fructus pomi vetiti a-
maros, tuos appellaſti, & quia cre
ſti, & quia tanquā tuos proprio
ſanguine deguſtaſti. Certatur o-
mninò amore relatiuo: Filius
enim Matrem rogat vt etiam in-
grediatur eundem hortum: Veni Can. 5. v. 2
in

in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam, cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo? Licet absens corpore, quis dubitare possit MARIAM præsentem corde & affectu fuisse in horto cum dilecto suo, & vere fuit, videndum iam quid collegerit ibi *Messis* Myrrhæ, quid aliud significat, quàm abundantiam atrocitatis & furiæ Iudæorum contra CHRISTVM, Myrrha, verè sanguineus ille in magna copia sudor in Terram é Sacrosancto Corpore effusus: Myrrha, tristitia summa cum aceruus dolorum futurorum ante oculos stabat: Myrrha, cum virulento osculo ingratissimum fætorem Iudas emisisset. Aromata autem qualia? Inprimis Patris Cælestis voluntas, cui placidè se CHRISTVS totũ submiserat, charitas odorifera quâ ardebat vt quantotiùs pateretur: fructus saluandarum ani-

marum, quos offerre Deo patri quàm plurimos desiderabat, comestio faui cum melle quid? nisi commixtio doloris cum amore, quo leniebat omnia in vicinia aduentantia tormenta: Vinum cum lacte quid? Refocillatio quædam sensuum, ad patiendū resolutorū, fortitudinis cum innocentia coagulatio, diuinitatis cum purâ abs; maculâ humanitate coniunctio, ipsius doloris CHRISTI cum Matre communicatio, quæ lac quondam infanti propinauerat, iam vinum amarum ipsa bibere cogitur. Vnde q; Anguitiæ oppresserunt cor MARIæ: sicut enim præsentia Filij, & conuersatio hucusq; mirè recreabat animam Matris, eam q; mille consolationibus replebat; sic nunc absentia eiusdem, & quidem talis, vt inter manus inimicorum incid[illegible] nesciret, à quibus tot verberibus, flagellis, irrisionibus, sputis, alapis, affici

debebat, quali dolore affectam putamus! Præsertim, tu anima mea, si eam Matrem tuam agnoscis, vt agnoscere pro infinitis beneficijs debes; reuoluas intellectu, & terræ inhærens, fletuq; & faciē & genas profundens obtesteris MARIAM Matrē DEI & tuam, per illum acutissimū dolorem, quem ex nuncio captiuitatis filij dilectissimi, suscepit, vt quando hora euocationis tuæ, ex hoc horto corporis tui, imminebit, intercessione suâ potenti, è manibus ad rapinam paratis inferni te eripiat, & in illum hortum introducat, vbi nulla myrrha afflictionis seminatur, nec aromata redolentia acerbitatem colliguntur, sed lacte & melle & vino suauissimo recreantur in æternum corda electorum.



CAPVT III.

Deductio infamis & ludibrijs plena processio CHRISTI ad Annam.

PAtientissime IESV. O verè tua infamis apprehensio à Iudæis, & processio detestanda! imaginor mihi Regium Prophetam in Spiritu vidisse cruentam hanc irruptionem in te Domine: *Circumdederunt me vituli multi, Tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, tanquam Leo rapiens & rugiens, circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.* Psal. 21. v. 12. Quicquid venenatæ malitiæ potuit Lucifer intellectu deprauato in te depromere, totum euomuit: homines enim feris ferociores effecti, omnia membra tua sanctissima ita in lanienam conuerterant, vt priorsùs illa crudelissimè dilaniarent, non errabit quisquam, qui certò

credette, Redemptor, tum tem-
poris, & terræ illiſum, & tan-
quam prædonem, & omnibus
ſceleſtioribus anteſignanum ab
illis æſtimatū, & eo modo tracta-
tum, quo nemo nocentiſsimus
durius tractari potuit, ligatum,
cathenis compreſſum, baculis
contuſum, facie per vepres &
ſaxa laceratum, totoq; corpore
afflictum, extractumq; è loco ca-
ptiuitatis tuæ, inſolitâ furiâ ia-
ctatum, & per fluuium Cedron,
benedicto tuo corpore inſtar
pontis ſtrato, cruentis & madi-
dis ac ſiccis vulneribus coram
Anna Pontifice ſtatuerunt, ſi-
mul & eadem vulnera coram
Patre cæleſti conſtituta, quæ &
charitatem tuam erga nos teſta-
rentur, & indignationem offenſi
Patris à nobis auerterent. Verū
cum quatuor beſtijs comparaue-
rat Pſalmographus, malam tu-
am à Iudæis tractationem? Vitu-
los enim, Tauros pingues, Leo-
nem,

nem, & canes nominauit. Optimè expressit angustiam tuam, Domine, & scelera eorum in te, summâ petulantiâ commissa. Per Vitulos, fortasse insolentiam depinxit, illusiones, verba criminosa, insultationes, certè fuerant, vt ipse per Prophetam dixeris. *Subsanarunt me subsanatione, frenduerunt super me dentibus suis* Psal. 34. v. 16. Vituli saginati currunt & saltāt, tecum cucurrerunt per ardua, & saltarunt per inuia ac deuia, quò calamitatem augerent tuam. Primus saltus ex horto fuit, ad Annam, Secundus ad Caipham, Tertius ad Pilatum, Quartus ad Herodem, Quintus iterùm ad Pilatum, Sextus ad locum supplicij, Septimus ad ipsam Crucem. De hoc saltu, & Sponsa de te: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles,* Cant. 2. v. 8. Transilijsti montem Caluariæ, & colles omnes superasti, nam supra terram ad ipsamCrucē saltus tuus ascendit

Per Tauros pingues, ferociam (describit Rex) Iudæorum, & militum. Cinxerunt te, & cornibus maledictionum & verberũ, punxerunt, ad intima penetralia penetrantes, pinguedine malignitatis impleti, obruerunt te, & oppresserunt acrimoniá passionis, vt de te fateretur alter
Ysai. 1. v. 6. Propheta. *A planta pedis ad verticem capitis, non erat in eo sanitas.* Per Leonem rugientem & rapientem, terrorem figurauit idẽ, quando innocentia ipsa, terroribus inferni circumdata est, vocibus similibus, rugitibus Leonum, impletus est aër, quo territi noti tui á longè steterunt, dispersiq; sunt à te, propter ingentes clamores, quos delicatissimæ tuæ aures, & cor tuum expertũ est abundè: in escam datus es à Deo Patre, vt alio loco Propheta. *Catuli Leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo escam sibi.* Per canes rabiem expressit
Da-

Dauid, quæ reuera fuit in te Iudæorum, multi canes conuenerant, omnium enim Nationum capita coniurârunt in perniciem tuam, rabies canina discerpere cogitat prædam: talis rabies fuit apud Iudæos, cùm clamarent: *Tolle, tolle, Crucifige.* Tu tamen Domine, præcipuè de ferocia, & terrore conquereris, & Patrem inuocas in auxilium. *Salua me de ore Leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Humilitas summa Dei, quæ passa est tam ignominiosa processione se duci in Ierusalem, ad confusionem coram omnibus ibidem existentibus mortalibus. Anima obmutesce, & pro indignatione conductionis Christi tam infamis, lacrymarum glacie concresce, humilitatem eius humillimè implorando, vt cùm ex horto corporis, ad Cœlestem Ierusalem deducêris, à Quatuor illis bestijs, te immunem, & sine noxâ,

Psal. 21. v. 22.

xâ, intactum defendat à vitulo, quæ est caro, & eius insolentijs protegat, à Tauro pingui mundo, & illecebris eius liberet; à Leone, Dæmone, ferociâ terroreq; eius eripiat; à Canibus multis, id est scrupulis, conscientiã tuam rodentibus rabie, tueatur; processioq; eius ludibrijs plena, confundat tuos nominatos hostes, vertatq; in gloriosam deductionem ad se, qui propriâ ignominiâ, triumphum electis promeruit.

CAPVT IV.

Ad Annam adductio CHRISTI, *vbi alapa illi funesta inflicta.*

PAtientissime IESV, Tu Iudex mortuorum & viuorum, cùm esses in statione prima ignominiosa, permisisti te coram Anna Pontifice presentari, qui gaudebat tandem Pharisaico odio imbu-

butus, habuisse te in manibus suis, & in disputationem tecum descendisse, ipsemet & accusator, & ferens decretum, omnes assistentes illi applaudunt, condemnant, & exequi sententiam vrgent. Interrogatio Pontificis circa duo puncta versabatur, de Doctrina, & de Discipulis tuis exosis Synagogæ, vt ergo caperes in sermone, qui iam vinctus stabas in corpore, obijcitur tibi vtrumque, & solutio expectatur. Tu Domine ipsa sapientia, (nam omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum) licet Corpus tuum & membra ligata, intellectus solutus, & perfectus vt in Deo) admirabili tuo responso confudisti interrogantẽ, verùm pro replica, in facie tuâ delicatissimâ ferream alapã reportasti, & prudenti tuo dicto: *Ego palam locutus sũ mundo*; & ostẽdisti te & Devm, & Doctorem, Ioan. 18. v. 20.

non angulos quærentem, non sophisticis quæstiunculis stabilientem doctrinam, non conuenticula priuata celebrantem. Rectè appellas te hoc verbo, *Ego*: qui eras, es, & eris tanquam DEVS in æternum, & bis repetijsti *Ego*, vt declarares te esse & DEVM & hominem: *Palam*: in omni loco disseminasti semen tuum, velut optimus Paterfamilias, quod in multam segetem excreuit, Testimonio generali approbas tua facta, dicendo:
Ioan. 18. v. 21. *Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis, ecce hi sciunt quæ dixerim ego.* Forte ita argumentatus es Domine, ad incredulos Iudæos: Iam perdidi apud vos, vestrâ malitiâ prædominante, fidem, non creditis mihi, saltem auditui alieno credite, operibus meis fidem date, ore non meo sed multorum, innocentia mea inotescet vobis. Non profuit illis tam suauis allocutio: è schola

la diuersa Luciferi sumpserat Annas argumentum, quæ doctrinam & discipulos tuos improbabat, ideó de his interrogabaris quàm maximè Domine. Ad tam modestam & subtilem elocutionem quis non sparasset vel vlteriorem disputationem, vel absolutionem? Non ita factum est, Alapa ferrea responsi instar successit. Anima mea exclama lugubri voce, cum Propheta: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer* Hie. 2. v. 12.
Angeli indicite ruborem & opplemini confusione, quod facies illa in quam vos desideratis assiduè aspicere, colapho nebulonis vnius inflicto, tota tumore & sanguine conspersa est? Terra quare non contremiscis, & quæ propter vitulos quondam aureos adoratos, multa millia hiatu absorbuisti, nunc videndo summum liuorem & contemptū Creatoris tui, adhuc stas immobilis

bilis? Cælum quod sæpius propter minora flagitia, fulmine terroribusq; igneis sæuiebas in tam atroci percussione faciei Dei tui conquiescis? Benignitas & charitas velarunt tantum dedecus Christi, ipse tu Domine affabili sermone te vindicasti, quid dico vindicasti? imò docuisti scelestum, qui adulotoriâ voce iniuriam Pontifici te intulisse, protestabatur. O adulationem proscribendam ex omni aula? quæ in Dei ipsius faciem non veretur insurgere, & colapho dehonestare? quàm suauiter verò adulationem reprimebas, Saluator, dilemmate insolubili: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, sin autem benè, quid me cædis?* Difficile argumentum, nõ
Ioan. 18. v. 23.
poterat in domo Annæ Pontificis explicari, Ideò vlteriùs tua processio progrediebatur: relicta apud Annã confusio, & vindicta alapæ in die iudicij compa-

parenda. Anima mea, considerando, quod pro te Redemptor tuus, & pro tuis flagitijs, absq; verecundia commissis, tam cruentam alapã, in conspectu Pontificis & plurimorum, excepit; totâ rubore & horrore confusa, percutiens tuam faciem, conuoluta terræ tremebunda supplica, dicendo: Fac mi IESV CHRISTE, tuæ Passionis, & suscepti colaphi ferrei, meritis, ne mihi in vltimo halitu vitæ meæ, satellites infernales alapas mortales infligant, potiùs ipsi confusione acceptâ recedant, & tu me in delicijs colloces sempiternis.

CAPVT V.

CHRISTI in domo Caiphæ præsentatio, vbi consilium Iudæorum coactum & falsi testes.

PAtientissime IESV. Secunda statio confusionis tuæ amaræ plena fuit in domo Caiphæ, qui tanquam Pontifex Anni illius,
Ioan. prophetauit. *Expedit vnum homi-*
18. v. *nem mori pro populo, ne tota gens pe-*
14. *reat.* O miserrime Caipha, non plenè prophetasti; ex parte quidem verum, cùm expediret vnum hominē mori pro populo, aliâs nō tantū tota gens, sed totus mundus etiam perijsset, verùm non nouisti illum vnum hominem. Vnus fuit talis homo, scilicet, simul & DEVS: neque debuit innocens tanquam nocens mori, quem tu falsis inductis testibus, in domo tua Concilio ideò habito, condemnasti: Benè prophetasti, modum executionis pessimum inuenisti: Peruersum tuum Concilium, in quo Filium DEI hominem factum, innocentiâ clarum, causidicis, cū erroneis testimonijs inductis,

nullo

nullo defensore tradito, iniquâ sententiâ morte dignum iudicasti. Ah CHRISTE mi Redemptor, ad te oculos meos, guttis lachrymarum plenos conuerto, & miror vehementer, testimonium contra te prolatum, tam mancum, incredibile, prorsùs confictum: Sic enim accusatio instituta fuit corā Pontifice Caipha à testibus. *Hic dixit, possum destruere Templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Vani accusatores, oportuisset interrogasse Dominum, de causa huius sermonis, vt ipse verborum suorum esset interpres, cur hoc, & quomodo dixerit? Audiuissetis responsum longè alienum à conceptu vestro; Omninò stulti vos & stupidi, non de materiali machina templi vestri, sed de templo pretiosi Corporis sui intellexerat Dominus; si enim S. Paulus; Omnia corpora hominum Templa DEI vocare ausus est, quid

Matt. 26. v. 61.

1. Cor. 3.

quid illud Corpus? quod in se DEVM habuit, & coniuncta in illo natura humana cum diuina, vnitate inseparabili, verè repræsentauit verum & viuum templum DEI? Propterea nullum responsum dedit Saluator, tacitè reprehendendo, insipientiam accusantium, quod Euangelista
Mat. 14. v. 59. expressit, his verbis: *Non erat conueniens testimonium illorum*: Dominus autem fortè cogitabat, condemnatis me inauditum, interpretamini malitiâ vestrâ, verba mea charitatiua, fiat, ego implebo hoc dictum, de templo destruendo, nō vestro, sed meo, hoc reædificabo in maiori gloria, cùm resurgam: vestrum autem templum Romani deuastabunt, lapidem super lapidem non relinquentes, nec vnquam restauratio integra succedet.
Cùm ergò tu nihil loquereris, præbens te hostiam viuam in holocaustum, pro delictis mundi,
Pon-

Pontifex interrogat & adiurat, vt dicas, *Si tu es Filius Dei viui*, loquebatur hoc, non vt te talem sciret esse, vel cuperet doceri, tentando dixerat, vnde stabiliorem causam criminandi inueniret. Iam non tacuisti Domine, partim vt te DEVM esse, etiam in statu iniquissimi iudicij non celares, partim vt ignorantia crassa Caiphæ, & asseclarum, in tuo tremendo iudicio non suffragaretur eis, de tuo Iudicio vero, in iudicio falso, prophetasti & monuisti; *Videbitis Filium hominis*, Mar. 14. v. 62. quem iam despicitis, cuius innocentiã prostituitis, cuius correctionem fugitis, cuius verba irridetis, *sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Pontifex, qui ponderare responsum tuum debuerat, abreptus errore Pharisaico, blasphemiam appellat, scindit vestimenta sua, reum mortis declarat, ad omne genus iniuriarum exercendum.

ad cædendum, & conspuendum, videlicet, exponit. O infelix Caipha, non vestimenta, sed cor tuum scindere debuisses, cùm de iudicio terribili audis Dominum concionantem, verùm expletum est dictum Saluatoris:
Ioan. 8. v. 27. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*: propterea Caiphas non ex Deo fuit, quia verbum Dei admittere ad aures noluit, potiùs ex inferno origo eius, & ibidem residentia perpetua. Lugeas anima, in memoriam reuocando, iniustum Concilium contra Saluatorem congregatum, sed quia ideò se subiecit illi, vt te eriperet è formidabili iudicio sceleribus tuis debito, ex infinita sua misericordia, demississimè rogans, dicito: ô Domine mi, per ignominiam, quam à falsis testibus pertulisti, fac, vt Cacodæmones, in separatione mei à corpore, velut falsi testes reijciantur, nulloq; responso à te in detrimentum mei acce-

accepto, ad supplicia subterranea sibi debita inanes reuertantur: Tu verò decreto tuo fauorabili, me ad perpetuum tuum osculum, & hilarem oculum admittas.

CAPVT VI.

Negatio terna Petri, & Iudæ suspensio.

PAtientissime IESV. Accesserũt ad tuos colaphos, & sputa ab ipsa impuritate iniecta faciei tuæ pretiosæ, interna duo sputa & colaphi à duobus discipulis cordi tuo inflicti, dum vnus te nunquam nosse aut vidisse ter iurauit, alter delictum venditionis, scelere desperationis cumulauit, benè dixisti per Prophetam: *Sagittæ infixæ sunt mihi*; psal. 33. v. 3. quando duos ex alumnis tuis in perditionem ruere vidisti, vni eorum oculi aspectu succurristi, alterum præcipitari crimine despe-

ſperationis permiſiſti. Infelix duplex mercator Iudas DEVM pro triginta argenteis vendidit, & pro illis funem præcidentem fauces miſeras emit, vel potiùs gratis accepit, redditâ pecuniâ. Præmium tale auaritiæ debitum? hîc exclamare potes ani-
Rom. 11. v. 33. ma mea cum S. Paulo: *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia tua!* vterq; peccauit, & vnus repulſus, alter meruit gratiam. Nonnè pulchra & dolorem reſonantia apparent verba
Mat. 27. v. 4. Iudæ: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum*: Peccatorem & traditorem agnoſcit ſe vltrò ſanguinē CHRISTI fatetur effuſum, & tamen furca loco abſolutionis illi aſsignatur. Petrus nihil dixiſſe legitur poſt negationem nec reuocauit ſe craſſe, ſolo fletu purgauit ſcelus. Quid eſt hoc? Forſè quia Iudas dederat occaſionem & initium paſsioni, Petrus
verò

verò vnicus inuentus, qui in principio passionis defenditi gladio Dominum suum, vel quod Iudas excæcatus auaritia non meruerit videre oculum CHRISTI Petrus timore solo peccans, obtinuit, illum vt respiceret Redemptor, sic enim in Euangelio legitur. *Et conuersus Dominus respexit Petrum.* Mirabilis tuus & efficax aspectus Saluator, ad similitudinem solis; qui radios in humidam terram immittendo, attrahit vapores, & nubem efformando, per imbrem reddit iterum terræ, pinguedine eam replendo: in siccam & aridam verò emissi radij absq; fructu operantur. sponsa in canticis de oculis diuinis ait: *Oculi tui columbarum absq; eo quod intrinsecus latet:* Benignitatem & mansuetudinē columbinam oculi tui Domine præseferebāt semper, sed intrinsecus latebat vis summa attractiua, nam visu solo & Matheus

Lucæ 22. v. 61.

Can. 4. v. 8

à telonio auocatus, relictis opibus, atq; habitu contracto diuitiarum, Apostolus & Euangelista creatus, & Petrus visu simili flendo amarè delictum, remissionem est tâm enormis peccati consecutus, ipso passionis tempore, peccauerat Petrus, & statim effectus passionis CHRISTI in illo apparuit, radij gratiæ ex sacrosanctis oculis in humidam pusillanimitate plenam terram Petri ferebantur, inde vapores attractati in cor illius recordatione prædictionis Domini de negatione ipsius ternâ, nubem contritionis densam effecerunt, quæ per pluuiam oculorum effluxit, & fructum pœnitentiæ generauit: Iudæ cor durum, & ariditate inferni siccum, respuit radios cœlestes, & disruptis visceribus, in sempiterna remansit sterilitate. Stupenda res, Petrus qui iam negat nouisse se hominem, antea dixerat: *Tu es Chri-*

CHRISTVS *Filius* DEI *viui*, qui iam ter, cum iuramento, detestatur notitiam, ter posteâ interrogatus â Domino, se habere erga illum, protestatus est: qui anteà velle se commori gloriabatur, iam gallo teste, nec audire de Magistro vult: qui in turba & strepitu in horto captiuitatis, audaciâ accinctus, ferro inimicum ferit, iam coram muliere & seruo, verbis defendere veretur, eumq; prorsus pernegat. Oratio tua CHRISTE subuenit Petro. *Ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos* Nobis in exemplum datum, ne desperemus de misericordia DEI, vt Iudas, fletu corrigamus errata, vt Petrus, qui licet veniâ ab ipso Domino donatus esset, pro vnâ culpâ tamen, toto vitæ tempore non cessauit â lacrymis. Væ tibi anima mea, peccatrici maximæ, quæ pro ingentibus sceleribus

Mat. 16. v 16.

Luc. 22. v. 32.

tuis, vix guttam aliquando emittis, & iterum ad priora peccata redis; contrito corde, accedas ad crucifixum petens: Respice me misericordiæ tuæ oculo, Domine, & liquefacias compunctionis dolore genas meas, quatenus deffluant aquæ ex illis, purgantes sordes meas, quibus deletis, post mortem abstergas omnem lacrymā ab oculis meis, perducasq́ ad illas delicias, per Crucem & Passionem tuā, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor humanum comprehendit.

CAPVT VII.

Nox illa terribilis CHRISTO in domo Caiphæ, vbi quid factum sit, nec scriptura expressit sacra.

PAtientissime IESV. Quis audebit describere, quæ passus

es

es nocte illâ, vel in residuo noctis, antequam illucesceret dies, in carcere Caiphæ? quid egisti, vbi fuisti; quæ conuersatio tua? Saxeum & lapideum meum cor distilla, Domine, & educas tanquàm è petra aquas salubres pœnitentiæ, quibus defleam te, vel potiùs me, cuius causâ tanta passus es. Copiosa tua redemptio necessaria erat, nouisti, ante cuius oculos omnia sunt aperta, mortales omnes peccasse, & peccare die noctuq; ita tu die & nocte eluisti scelera eorum, nocte potissimùm in silentio, in abscondito offenditur tua Maiestas, tu ore tuo Sanctissimo elocutus es. *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Lux, est quasi inspector operum nostrorum, fugimus, dum aliquid non boni exequi, intendimus, & noctem eligimus, quâ tecti impunè liceat flagitijs vacare, quod con-

Ioan. 3. v. 20.

tra tuam ordinationem facimus.
Ordinatione tua perseuerat dies: in
quo piè Rex respondet in al-
Psal. tero Psalmo. *Ortus est sol, et ho-*
103. *mo exibit ad opus suum, & ad opera-*
v. 22. *tionem eisq; ad vesperam.* Nox pro-
pter, quietem data hominibus,
vel vt somno recreent artus, vel
vt in te Domine habeant requiē,
& tecum se occupent exemplo
Psal. Dauidis. *Media nocte surgebam ad*
118. *confitendum tibi.* Vera quies, quia
v. 62. in te & tecum: Quibus ergo ser-
Psal. uit nox vt malè otientur? Idem
103. Propheta. *Posuisti tenebras, & fa-*
v. 20 *cta est nox, in ipsa pertransibunt omnes*
bestiæ syluæ, catuli Leonum rugien-
tes, vt rapiant, & quærant à Deo
escam sibi. Quando ergò homo
instar feræ, noctu quærit præ-
dam in plateis, in domibus, in
angulis, volutaturq; in cogita-
tionibus, & desiderijs impuris,
talis esca non à Deo, sed à Dia-
bolo, qui homines in feras con-
uertit, qui tempus quietis, in la-
bo-

bores bestiarum commutat, qui noctem vertit in diem, & diem in noctem, vt noctu peccatis polluti, dormiant in seruitute eius, ad meridiem, putant se pacatos in lecto desiderare, & ipsi in faucibus Leonis illius, qui quærit quem deuoret, compre-hensi stertunt. O Redemptor mi, cùm in meipsum descendo cogitatione solidâ, & agnosco me solum, tot vitijs nocturnis, quorum sinè singultu, & gemitu recordari non possum; offen-disse te Dominum meum, quid totus mundus ab Adam, ad ex-cidium fabricæ huius, non com-mittet? fortè notauit id Esdras, & annuntiat nobis, dicens: *Al-tissimus dedit intellectum quinq; vi-ris & scripserunt quæ dicebantur ex-cessiones noctis, quas non sciebant.* 4.Esd. c. 14. v. 42. Tu scis, & sciebas CHRISTE, o-mnes excessiones nocturnas o-mnium temporum, non te la-tuit ira Patris, & ideò vt satisfa-
ce

ceres, & mollires furorem Genitoris æterni, noctem illam in domo Caiphæ, sine vlla quiete, in loco sordido, inter lixas & feces insolentissimorum seruorũ, transegisti; verè ad prædam ex permissione DEI Patris, Catuli Leonum exierunt, & te miserè afflixerunt, quot ibi tormenta concurrerunt, quæ abluendo nocturna peccata tolerasti, noctu omnes morbi grauiores, & maior afflictio, & hæc circumstancia aggrauabat tuam pœnam, tenebræ paruâ luce illuminabantur; locus angustus & ingratus odore, requies fugerat, cùm alij alijs succederent, quibus infernus somnum adimebat, hi & vellicationibus & alapis, sputis, turpibus alloquijs, maledictis verbis, omniq; genere petulantiæ, in te inuehebantur, ac contumelijs varijs, ad ipsum diei diluculum, diuexabant. Expergiscere anima mea, è lethargo pec-

peccatorum, & gratias agens Saluatori tuo, cum lacrymis dic: Sit tibi Gloria, Domine, in æternum, quod nocturna mea, mundiq; totius delicta, Passione pacificaueris, & occultari fecisti à facie commoti ira Patris tui, ne propter illa, æternâ nocte damnationis puniremur, demississimo vultu, profluentibus guttis rogo, vt merita tua me à tenebris, & nunc scelerum, & post obitum, perpetuis præseruent, atq; ad lucem, quam ipse inhabitas, & quam electis tuis per passionem tuam præparasti, perducas æterna.

CAPVT VIII.

Mane CHRISTVS coram Præside Pilato sistitur.

PAtientissimè IESV Ortus est dies, fèlix quidem generi humano ob pretium incomparabile redemptionis, quod peractum

actum est tamen cordi amanti lugubris memoria, ob compassionem vulnerum tuorum debitum, intermiscet dolorem. Nocte ergo vigilando consumptâ, an refocillatio secuta quietis die? Planè illud Poetæ congruit Nocte Pluit tota redeunt spectacula manè Pluit sputis alapis vellicationibus nox in te Domine. iam mane spectacula prodeunt, Deo Patri, Angelis & hominibus, non visum spectaculum Deum vt hominem condemnari & mori Ah proh dolor. aceruus amaritudinum accreuit in corpore tuo saluator mi? Iam enim absoluto nefandissimo consilio Iudæorum, & iniustissimo decreto in quo innocentia nocens inuenta Hypocrisi Pharisaicà, dum ad eos Pilatus
Ioan. 18 v. 31. dixisset: *Accipite eum vos & secundum legem vestram iudicate:* Clamarunt: *Nobis non licet interficere quenquam?* Benè aduertit
San

Sanctus Augustinus: astutiam
illorum, in illud Psalmi: *Exa-* Psal.
cuerunt tanquam gladium linguas 63.
suas: Non dicant Iudæi non oc- v. 4.
cidimus CHRISTVM, etenim pro-
pterea illum dederunt Iudicij
Pilato, vt quasi a morte eius vi-
derentur immunes, nam respon
dentes *nobis non licet occidere quen-*
quam iniquitatem facinoris sui
in iudicem hominem refundere
volebant, sed nunc quid DEVM
iudicem fallebant? non certe s-
icut & Dauid, cum Vriam inter-
ficere tacitè curasset & in bello
Ammonitarum ille occubuisset
Natham Propheta exprobran-
do excessum illius sic affatus est
Vriam Hæteum percussisti gladio, 2 Re.
& vxorem illius accepisti in vxorem 12.
tibi, & interfecisti eum gladio filio- v. 9.
Ammon. Non latuit scientiam
Diuinam occulta iussio vt peri-
ret Vrias multò magis quando
ipse DEVS & homo subtilitate Iu
dæorum condemnabatur, Non

acceptata talis excusatio à Deo quam veretur & Rex pænitens.
Psal. *Non declines cor meum in verba ma-*
140. *litiæ, ad excusandas excusationes in*
v. 4. *peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem:* Et alia falsitas apparuit in Iudæis teste Euangelio,
Ioan. de illis enim dictum: *Et ipsi non*
51 *introierunt in Prætorium, vt nō contae*
v. 28 *minarentur, sed vt manducarent Pa-*
scha: Minus peccatum veriti, in maximum inciderunt. O duplici corde fallaces; non audetis intrare prætorium & ausi fuistis, eo die & iudicare, & innocuum solo inuidiæ liuore stimulati, sententiâ mortis afficere? Ecce statuitis CHRISTVM ante faciem Pilati, instatis vt pereat è vita. Pilatus vt prudens Iudex, sciscitatur causam adductionis Domini. *Quam accusationem affer-*
Ioan. *tis aduersum hominem hunc?* Vide-
18. v. 29. te, qualis ad interrogationem; & quàm indirecta, & præ occupato rabie, animo responsio?

Si non

Si non esset hic malefactor, non tibi Ioan.
tradidissemus eum. Non sic Iudæi 18. v.
procedendum; Enumerate quæ 30.
maleficia, quod delictum ab illo commissum, & postea vrgebitis pœnam. Palam ostendunt causam fuisse necis Domini, condemnationem ante proprio decreto, extorquent ergò, vt Iudex eorum iudicio subscriberet. O falsitas inaudita! Optimè quidē remittis Pilate ad illos, vos ergo iudicate eum, quia reū inuenistis, non ego, qui nullam in eo inueni causam. Pilate o inconstans Iudex, si sciuisses, quis coram tuo tribunali constitutus fuerat, fortè fortiùs pro illo cum Iudæis decertasses: ignorantia & timor Cæsaris, in bono cursu deficere tibi persuasit. Tu anima mea, scis quis coram Pilato stabat, & causam non ignoras, Devs ipse fuit, & pro te iudicari se iniquè permisit, proijce te in terram, & plorans, statue tibi

ante oculos Creatorem cœli & terræ, ab omnibus destitutum, stare in conspectu Iudicis, vnius hominis, suæq; vilissimæ creaturæ, & dic ad Dominum: Per illam stationem tuam coram Pilato, fac, vt cùm ego post dissolutionem corporis, ante tuum strictissimum iudicium præsentabor, non sicut tu innocens, tanquam nocens morti traditus fueras, sed tuâ Passione mediante, me nocentissimum, innocentiæ decreto absoluas, ne æternæ morti mancipér, verùm misericordiâ tuâ inexhaustâ subueniente, brauij sanguine tuo pretioso promeriti, participem me clementer efficias.

CAPVT IX.

Pilati insufficiens defensio pro CHRISTO, Iudæorum acclamatio: Crucifige.

Pa-

PAtientissime IESV. Tam iniquè instabāt Iudæi aduersum te, vt nec rationem aliquam, saltem ad apparentiam afferrēt, quā te condemnarent, nec vllum defensorem, secundùm iura, concederent. Quid ergò, itanè innocentia periclitabitur? Non. Permisit quidem DEVS, & voluit, vt iudicium condemnationis sequeretur, at testimonium innocentiæ, Iudicis ipsius voce, & disputatione cum Iudæis, memoriæ omnium descriptum mansit: Subscripsit pro innocentia vxor Pilati, iustum Dominum proclamando. *Nihil* Mat. 27. v. 19. *tibi, & iusto illi, multa enim passa sum per visum hodie, propter eum?* Animaduerterat sathanas, morte Saluatoris se peti, & iugulari, tardè deceptum se agnouit: Ergò qui ante vrserat executionē mortis, per ora Iudæorum, iam per potens instrumentum mu-

lierem, aggreditur expugnare, cor Pilati occupatum instantiâ Iudæorum, illam terrendo visu nocturno. Dominum autem iustum propalando; Non succedet ars tua Diabole, oblatus est, quia ipse voluit, velis nolis sacrificium cruentum peragetur, quo vires tuæ frangentur, & potestas collidetur. Pilatus itaque prudenter satis à principio tutatus est causam CHRISTI: Primò interrogat eum: *Tu es Rex Iu-*
Mat. 27. v. 11. *dæorum?* Cùm Dominus sapientissimè respondisset: Ego quidem sum Rex, sed non de hoc mundo: nam & mei Ministri decertassent, vt non traderer Iudæis, vides contrarium, omnes mei dilapsi sunt, solus sto ante te, non ambio regnum caducũ, qui aliud quidem & perpetuum possideo. Pilatus exit foras aliquoties, protestatur se, nullam causam mortis in eo inuenire, & quod magis, vt furori Iudæo-

um satisfacere posset, mitiga-
req; feruorem crudelitatis, & Ba-
rabbam dimittere cogitat, & fla-
gellat, & coronâ spineâ permissâ
cruentat. & tum demùm excla-
mat: *Accipite eum vos, & crucifi-* Luc. 23. v. 22.
gite, quia ego nullam in eo inuenio
causam, Huculq;, iuste Pilate, de-
fendisti innocentiam Domini,
perseuerantiâ opus fuerat, in
qua tu defecisti deplorandè,
prudentia tua caruit effectu, non
mirum; *Sapientia huius sæculi ini-*
mica est Deo: vti enim mundus
non est infinitus, neque opera
eius, ita nec prudentia eiusdem.
Initium sapientiæ verè timor Domini.
Initium sapientiæ mundi, timor
inanis, & creaturarum, non Cre-
atoris, Talem timorem Iudæo-
rum & Pilati, Propheta in spiritu Psal. 47.
longè ante depinxit. *Quoniam* v. 5.
ecce Reges terræ congregati sunt,
conuenerunt in vnum, ipsi videntes, sic
admirati sunt, conturbati sunt, com-
moti sunt, tremor apprehendit eos:

Iudæi Romanos verebantur, ne tollerent eorum Gentem, propter doctrinam CHRISTI, ideò conuenerunt, ideò tremor apprehendit eos. Pilatus, auditâ
Ioan. 19. v. 12. voce: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*: Timorem iam conceptum auxit, magisq́; timuit, licet innocentiam CHRISTI perspectam haberet, de quo latiùs infra. Quam tamen rationem protulerant Iudæi? nullam aliã nisi clamosam, nulloq́; nixam
Ibid. v. 15. fundamento: *Tolle, tolle, crucifige eum*: pro tot beneficijs acceptis à Domino, pro tot ægris sanatis, pro tot laboribus in salutem illorum insumptis, merces, Crux. DEUS Pater aliter, pro tot ærumnis & plagis, quas Saluator sustinuit pro nobis, præmium summum attribuit, vt ipse
Psal. 2. v. 6. fatetur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctũ eius*. Et cùm pateretur, Pater allocutus est eum: *Postula à me*, (&

(& videns sufficientem satisfa-ctionem, & dignam postulatio-nem) *Dabo, inquit, tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Tu anima prouoluta, cineribus commi-scens pluuiam lachrimarum, po-stula dicens: Supreme Iudex, tu in iudicio tuo ipse sis defensor causæ meæ, melior enim & tutior, perseuerantiorq; erit, quàm Pilati, nullum tu times, potius Reges terræ seruiūt tibi in timo-re, et infernus coram té contre-miscit, da ergò, vt inter hæredes Regni illius sim, quorum posse-sio tradita est tibi à Patre æter-no in æternum. Psal. 2. v. 8.

CAPVT X.

Silentium CHRISTI *coram Pilato.*

PAtientissime IESV, Qui lin-guas infantium facis esse di-sertas, & benè omnia faciendo,

surdis auditum, & mutis loque-
lam restituis, quid est quod co-
ram Pilato constitutus adeò ta-
ceas, vt ipse Præses miretur ve-
hementer? Non est, tantum a-
nimi in me, vt te de silentio tã
mirabili interrogem, quis enim
tuus consiliarius fuit? Reddes-
ne rationem alicui tuæ hacte-
nus taciturnitatis? Inspira ergo
cordi meo, vt inuestiget ratio-
nem tui silentij: Prædixisti Mar-
tyribus tuis antea dicens: *Dum*
Mar. 13. v. 9. *steteritis ante Reges & Præsides, no-
lite cogitare quomodo aut quid loqua-
mini, dabitur enim vobis in illa hora
quid loquamini, non enim vos estis
qui loquimini sed Spiritus Patris vestri
qui loquitur in vobis:* Et tu Domi-
ne cum & verba habeas (es enim
Verbvm æternum Patris) & spi-
ritus Patris est in te (vnius esse-
tiæ cum sit tecum) & tamen ta-
ces? Audebo suspicari, te Do-
mine omnia & singula nostra de-
licta singulari modo expiare vo-
lui-

fuisse. Nostra enim garrulitas & multitudo loquendi, offenderat maiestatem Diuinam, lingua nostra veluti gladius biceps acutus famæ aliorum non parcit, tanquam in molendino rota assiduè voluitur, vt alijs obloquatur rodat existimationem, lædat honorem, in ipsum deniq; auctorem vitæ insurgendo quid vani, inanes, turpes sermones nostri: quot vicibus dies noctesq; occupant integras; Et nos putamus, tempus perditum quod ineptis confabulationibus eximitur, Tua lingua benedicta CHRISTE, quâ nemo hominum taliter vnquam locutus est, verba vitæ dissiminans, ne nostræ, æternum Væ clamarent: ideó obmutuit, & cathalogũ vanitatum linguarum nostrarum carbone Cacodæmonis notatum deleuit. Docuisti etiam Domi, ne in causa iusta, silentium, esse maximum apud DEVM causidicũ

Ita

la Susanna tacito suspirio defēdi meruit à propria innocentia: ita de Sanctis dum supplicijs afficerentur canit Ecclesia.
Dan. 13. *Cæduntur gladiis morte bidentium, non murmur resonat, non querimonia sed corde tacito mens bene conscia conseruat patientiam.* Si iniusta decreta obruunt iustitiam, silentio appellatio ad supremum subselliū deducatur expectatur illud tempus, quo promittit se Devs accipere iustitias iudicandi. Ergò vindicta non alia debet esse Christiana, illa namq; reprobatur, quæ mira, & horrēda imprecatur coquens vltionem: Ex tuo Dñe silētio doctrina sumi potest vbi nihil proficitur in corrigēdo proximo, & in vanum laboratur, sermoq; inutiliter consumitur, ibi silentio potius vtendum erit, nec fatigandum, vbi nulla spes vel fructus laboris sequitur; tam diu operari circa salutem aliorum oportet, quamdiu speratur solatiū
con-

conuerſionis, ſi fruſtra fieri a-
gnoſcitur, ſoli Deo, ſilentio &
oratione comẽdanda res. hoc
placet ſuperis neq; meritum a-
mittitur, ſed ponderatur potius
in libra cæleſti, magniq; valoris
eſſe reputatur, exemplo Domi-
ni, qui poſt tot conciones, &
adhortationes Iudæorum & ante
& nunc Pilati in paſsione prola-
tas, cum nihili æſtimarẽtur ſilen-
tio, Deo Patri in ſinum, ſaluan-
dorum numerum repoſuit, Ob-
ſeruarat Dominus tempora, qui-
bus diſtincta opera ſua manife-
ſtaret vniuerſo mundo non do-
ctrinæ & loquelæ, verum paſsi-
onis tempus tum aderat, ideò
pauca verba eius & miracula ta-
citè peracta. Nonnè aſpectu ſo-
lo Petro ſubuenit? Nonnè Lon-
ginum apertione lateris ſanauit?
nonnè Centurionem morte ſola
conuertit, Nonnè latroni licet
defenſori honoris ſui parcè re-
ſpondit, vtinam ego refrænem
lin-

linguam meam multiloquam, & parciùs vtar vetitis sermonibus per meritum silentij Dei mei Tu anima defleas tot sordidas confabulationes tuas, imprimẽdo timorem amici Dei Iob, qui ad mille interrogata, ne vnum verbum respondere posse creatori fassus est, illum diem reuocando in memoriam, quo de omni verbo otioso stricta ratio reddenda erit. demisso vultu dicendo ad Crucifixum: Fac tuo silento Redemptor, vt in iudicio meo coram te accusatores mei obmutescant & ego introducar illuc, vbi absq; silentio incessanter clãmant electi tui: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.

CAPVT XI.

CHRISTVM interrogando Pilatus, quid sit veritas? noluit audire, sed foras exiuit.

PAtientissime IESV, Exularat veritas è mundo, quia nunquam eam cognouerat, antequã tu ipsa veritas venires; dicit Dauid: *Veritas de terra orta est*; non antequam tu terram, carnem videlicet nostram assumeres ex ea terra, sancta, incorrupta, eius fons & origo, at non ex sola terra, cœleste semen commixtum terræ, veritatis Parens. Primò veritas fuit vsq; ad nubes tantùm, incognita, accessu difficilis; Moyses ascendebat montem, vt audiret de veritate, & vix posteriora meruit videre, tonitrua, fulgura, deterrebant à schola veritatis, ita vt Iudæi nollent à DEO ipso audire veritatem, maluerunt per Moysen interpretationem eius admittere Rarò Doctor veritatis in mundo inuentus, vetus prouerbium: *Veritas odium parit*: ideò iudicio Regis declaratus, Omnis *homo*

Psal. 84. v. 12.

Rom 3. v. 4.

Psal. 61. v. 10. *mendax, & mendaces filij hominum,* idem iterum increpat & redarguit. *Filij hominum vsq; quò graui* Psal. 4. v. 2. *corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Non tantùm non quærebant veritatem mortales, sed potiùs hostem eius mendacium: quomodo ergò viam sciuissent veritatis, cum contrarium iter ab eis inuestigaretur vanitas & mendacium illorum materia, circa quam versabantur filij hominum veritas abolita ab eis, obducta velo ignorantiæ, quia cum festinatione dies vanitatis & mendacij transacti, Tu Domine venisti in mundum, & tecum veritas, quia tu ipse veritas nec dissimulas Ioan. 14. v. 6. te id esse cum agis: *Ego sum via veritas & vita*, ipsimet inimici tui ad tentandum te missi, confessi Mat. 22. v. 16. sunt dicentes: *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces:* aberrantes enim à via, ad veritatis veram semitam re-

du-

duxisti; mendacium, veritati fœmine iugulasti; veritate cognitâ æternâ, vanitatem transitoriam è cordibus humanis, euanescere fecisti, At omne nè genus humanum veritatem tuam secutum est? Proh dolor pauci in schola discipulorum, vnus vanitatis lucro deceptus, à veritate non tantum discessit, verum eandem falsis Pharisæis, Scribis tradidit ad mortem, Pilatus fugit à veritate, interrogat Dominum: *Quid est veritas?* & exit, Pilate cur non audis definitionem veritatis? Cur responsum de veritate à magistro veritatis non expectas; cur doceri recusas de veritate ab ipsa veritate, Ad quid interrogas, si celeri cursu à doctrina veritatis te proripis? Benedixisti antea Domine. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Lima est veritas, quæ per verbum Dei profertur, illisq; prodest, qui sunt ex Deo, Caractere eius glo-

Ioan. 18. v. 38.

Ioan. 8. v. 47.

rioso prædestinationis notati: fortè Pilatus si expectasset ex ore veritatis responsum, veritatem agnouisset, & Discipulus eius factus fuisset, iam miser prætermisso tempore, quo salutem suam operari potuisset, longè recessit à veritate, & incidit in viam mendacij, & vanitatis. Licet enim innocentiā CHRISTI publicè propalauerit, tamen ob vanam Cæsaris gratiam, mendacio condemnationis, præcipitiū sempiternum sibi, & exilium à ueritate accelerauit. Sed quid ego Pilatum redarguo, cùm me procul à veritate abesse nō ignorem? quæro vanitatem & mendacium, omnibus diebus vitæ meæ, grauiter DEVM offendendo, & transitorias voluptates sectando, expello vanitate veritatem, neq; enim in vno eodemq; subiecto conuenire possunt simul. Anima mea, declinando ad terram, fletu miscendo pre-

ces, dicito ad Redemptorem: Expelle à me Domine, vanitatem, occupa cor meum veritate, non est enim quo vanitas intret, vbi veritas iam totum occupabit; da vt quid sit veritas, & interrogem, & responsum expectem, instruarq́ de veritate. Tu es, mi CHRISTE, ipsa veritas, qui pro veritate etiam mortem subijsti, concede, vt te perfectè agnoscere possim, veritatis doctrinam ingredi, quâ tutus ad vitam æternam perueniam, quam mihi viâ Sanguinis tui pretiosissimi mercatus es.

CAPVT XII.

CHRISTI ad Herodem missio, & ignominiosa cum contemptu eiusdem remissio.

PAtientissime IESV, Quanta blasphemia à Iudæis commissa, in tui accusatione iniustâ?

maledicta vox, in Euangelio sic legitur; dum enim Pilatus nihil
Luc. 23. v. 5. se inuenisse causæ fateretur in te, dixerunt Iudæi: *Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque hûc*: Estne ista commotio, Iudæi, tot languentium curatio, tot mortuorum resuscitatio, tot famelicorum saturatio, tot infirmorum sanatio? hoc propterea factum est tuâ permissione, vt maiorem satisfactionem delictorum nostrorum, â Patre impetrare posses, ideò ampliori contemptui occasio data verbis Iudæorum: Audiens enim Pilatus de Galilæa, misit te ad Herodem, vt processio tua crebriori despectu augeretur: stetisti ergò in conspectu adulteri, qui curiositatis persuasione, signa à te fieri videre voluit, non ad mentem eius tuum silentium, tu verò indignum iudicasti, coram eo maiestatis tuæ Diuinæ iura ostendere;

dere, potentiæq; tuæ inſignia explicare, qui fratris ſui vxore polluit thalamum: qui Ioannem tuum famulum & præcurſorem, redarguentem ſcelus, conuiuiali Chorea capite minuit: qui perſecutionem in Apoſtolos futurã meditabatur executione. Stultitiam eius & arrogantiam, & curioſitatem ſilentio confudiſti: quia verò prudentia mundi reputatur pro amentia in cœlo, & è contra, idcirco auſus eſt Herodes te ſpernere, atq; irriſum alba induere veſte; neſciens, trium virtutum perfectionem, albedine tibi adſcripſit. Alba veſtis, quid aliud niſi caſtitatem, innocentiam aut ſimplicitatem, puritatemq; cordis deſignat? Spernitur talis veſtis, in mundo, in aulis, in iudicijs, mundus quid magis odit, quam has tres virtutes? Caſtitatem irridet, innocentiam, ſimplicitatem contemnit, puritatem deſpicit, ex aula

exu-

exulat castitas, innocentia, simplicitas vili penditur, puritas sibilis & cachinnis excipitur, Iudicia castitatem rarò defendunt, innocentiam sæpè condemnãt: de puritate si dicitur, vix ad aures admittunt, amittitur causa harum virtutum non semel in iudicijs, & ipsa CHRISTI causa non successit, quæ eminebat, in his tribus supra dictis perfectionibus. Sed quæro à te imprudens Herodes, cur tu Dominum irrisisti? quæ causa contemptus? vnde origo tanti despectus? Dicis, quod nullo signo, vel miraculo, vt tu in superbo corde tuo meditabaris, & spe deuoraueras, te recreauerit Dominus? Minimè id merebaris, cùm signum CHRISTI aduenientis in mundum, & miraculum Orbis, videlicet Angelum in carne(vt ipsum Saluator appellauit)præcursorem Domini, sustuleris: Et fortè ideò non est dignatus Do-

Dominus responso suo te hono-
rare, neq; verbo) quod inten-
debas audire) salutare, cùm vo-
cem clamantis Ioannem Bapti-
stam decolaueris, & inter fer-
cula conuiualia, crudelem di-
scum, in quo caput eius reposi-
tum fuerat, in bestialis natalis
tui festo, collocaueris, & fortè
ideò silentio te Dominus redar-
guit, cùm verba proficua, da-
mnantia scelus tuum (in quo
cũ vxore fratris tui viui immer-
sus fueras) præcursoris CHRISTI
reieceris, & loco præmij, silen-
tium capiti eius imposueris. Ve-
rùm & silentium Redemptoris
tibi profuit, quod inimicitias
inter te & Pilatum composuit:
Ecce silentij qualis fructus? te- Luc
stimonio Euangelistæ. *Et facti* 23.
sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa v. 12
die, nam antea inimici erant ad inuicẽ.
Per illud silentium CHRISTI, con-
trito corde exores, anima mea,
dicendo: Domine mi, non con
de-

demnes meos vagos ſermones, potiùs per meritum tui ſilentij, inſpires mihi paucitatem verborum, da gratiam ſilentij, vt clauſo ore, in abdito conſcientiæ meæ, ſileant cogitationes mundanæ, & ego occuper tacitè ruminando cœleſtia, vt ſicut tuum ſilentium, inter Herodem & Pilatum, pacem operatum eſt; ita inter DEVM Patrem (cuius inimicus hactenus fui, ſceleribus meis continuis iracundiam promerendo) & me vilißimam creaturam, concordiam ſtabilem conſtituas, vt & hic motuũ, & affectionum mearum conſonam, in DEI Patris mandatis voluntatem geram, & in cœlo, vbi vera pax eſt, concordem cum omnibus Sanctis, inhābitem perpetuó manſionem.



CA-

CAPVT XIII.

Præpositus à Iudæis Barabbas præ CHRISTO

PAtientissime IESV. Ex vno contemptu in aliũ ruis causâ nostri, & quidem extremum honoris videlicet. Quid non fit in mundo, vt honor integer seruetur? Mors ipsa eligitur pro honoris læsione, saluo honore, omnia salua. Et tu fabricator Cæli, Dominus dominantium Rex Regum, innocentia ipsa, honor summus, Creator omnium, post poneris Barrabæ scelẽratissimo mortalium, homicidæ seditioso. Aduoco in testimonium ipsum cælum & Angelos, quibus contumelia maxima illata, quorum Dominus, (cujus aspectu satiari nunquam possunt) tantam iniuriam passus, vt ipso perfido Barabbâ nocentior, publica voce procla-

Luc. 23. v. 18. & Io. 18. v. 40. maretur: *Non hunc(dimitte nobis Pilate) sed Barabbam*: clamabant Iudæi. verùm cum nihil frustra in tua passione CHRISTE factum fuerit, quis scit an nō ob duo peccata comunia mundi in honore periclitatus es: superbiam scilicet, & nimium Zelum impertinentemq; tuendi honoris. Lucifer antesignanus superbiæ, multos suæ sectæ habet alumnos in mundo, superbi nolūt alijs esse æquales, tantò magis minùs æstimari, hæret illis obiectum Diabolicæ Philosophiæ in mente: *Similis ero Altissimo*: ascendere nituntur semper superiùs, magisq; eleuari cum Psal. 73. v. 23. Psalmista: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*: Pharisæus orans in templo dupliciter superbiā impegit, de se nimium præsumendo, & alium temerè contemnendo: *Non sum* Luc. 18. v. 11. *sicut Cæteri*: origo altior in oculis proprijs præ cæteris sibi visus

est,

est, nec comparationem vllo modo ferre potuit. Tu Domine medicinam è Cælo attulisti nempè humilitatem, eamq; docuisti, in postpositione tui Barabbas ille fur sceleratus, publicè tibi anteponitur, & tu pateris hoc silentioq; concedis: imò permittis, vt re ipsa, te audiente tibi proferatur? Quæ comparatio Creatoris ad creaturam, summæ bonitatis ad insignem malitiam sanctitatis ad peruersam vitam? Et tamen scelus triumphat, & innocentia rea agnoscitur. Honor delicata res in mundo, etiam mansuetissimos lacessitus commouet, non verbis non verberibus, vix sanguine satisfit honori offenso, vnde tot duella, tot cædes, tot vindictæ sequuntur, non dimittit aliquando læsionem honor suã, etiam in tormentis, etiam in ipsa morte: Si illi violato apponatur cogitatione infernus, & pœ-

næ illæ infinitæ, nihil prodest, tanquam cœcus omnia contemnit. Ecce Saluator remedium tanquam verus medicus, proponit cuilibet animæ inflammatæ, vindictâ honoris, dicens & in spirans cordi: Eheu misera anima, quid vanos honores læsos, tam acriter propugnas? Non ne ego DEVS, qui dixi: *Honorem meum nemini dabo*, & mihi honorem à creaturis deferri reseruaui, nihilominùs contemnor, non potuit mihi maior læsio inferri vnquam, nec à magis vili persona, & ego do manus, non repugno; & loco vindictæ, sanguinem meum, pro contemptoribus & conculcantibus honorem meum offero: loco duelli, inermis cum armato Inferno concurro: & prostituentes honorem meum è potestate eius, & imperio eripio: loco cædis, meam vitam in mortem trado, vt derogantes honori meo salutem, & vitam æter-

æternam tribuam. Erubesce anima mea, erubesce CHRISTVM, qui Barabbæ impio subesse, & minor quàm ille in reputatione hominum censeri voluit. *Erat autem Barabbas latro.* Ergò plùs quàm latro Dominus? ille enim dimissus, hic retentus, & loco illius condemnatus: ille peccauit, hic pœnam exoluit: vt tamen scelera eius, passionis medio mererentur veniam, temporalis hæc impetrata est non æterna. Tu anima confusa hac prodigalitate honoris, tui Domini, dic: Da mihi, vt & honorem meum, & vitam meam pro te contemnam, & per Passionem tuam merear honorari illo honore, quo tu promittis coram Patre tuo cœlesti honore affice re honorantes te.

Ioan. 18. v. 40.



CAPVT XIV.

Inaudita flagellatio CHRISTI.

PAtientissime IESV, post dimissionem Barabbæ, vt furori Iudæorum mederetur, ferocemq; vindictam emoliret, cum verba nulla ad dimittendũ profuissent frustraq; se laborasse cerneret Pilatus, ad verberamentum, vt tandem visu cruentarum plagarum cicuraret cor Iudæorum, crudelitatis Leoninæ siti æstuans. O factum execrandum! contumelijs & percussionibus faciei & laterum fatigatus Domine, nondum auaram rabiem Iudæorum sedasti, necesse fuit, vt totum corpus flagris cæderetur. Imperat Præses te flagellari, deponuntur vestes corpus tuum Sanctissimum nudum, coram omni populo exponitvr, columna adest at humilis, ad quam manibus ligatis,

toto corpore ictibus excipien-
dis te reſolueras, ſtas ergo cum
Dauide dicens: *Quoniam ego in* Pſal.
flagella paratus ſum; Paraſti ani- 37. v.
mam cum reſignatione patien- 18.
di pro delicijs noſtris, o Colu-
mna, neſcio an te venerari, an
vituperio afficere debeã? Hæ-
ſito intellectu, Si enim conſide-
ro DEVM meum proprijs mani-
bus te tangere, quid felicius?
ſi te inſtrumentum aduerto, per
quod pars maxima Paſsionis
CHRISTI in ſalutem animarum no
ſtrarum abſoluta fuit, quid glo-
rioſius? Si ſanguinem prætioſũ
quo aſperſa es intueor, quid
ſanctius? E contra, ſi pro latro-
nibus, & executione iuſta poſi-
ta, cum ſis eodem ſcelere inno-
centiam inuoluis, quid funeſti-
us? ſi Creatorem tuum ludibrio
denudationis exponendo firmi-
ter tenes, quid deteſtabilius?
ſi inaudita crudelitate ſæuiendo
in Dominum, obtemperas car-

nificum voluntati, quid execrabilius? Columna facta S. Luciæ meliùs inseruit contra violatorem castitatis, stetit enim illa instar Columnæ immobilis defendendo proprium virgineum pudorem, tu lacerans membra niueæ castitatis, Salua, toris adhuc vlteriori castigationi exponis, immota fixaq; ? Vt tu ipsa fixa, ita & barbaries Iudæorum. Auditumne, vel oculi aliquando legere potuerunt (vt ipse Dominus cuidam Sanctæ apparens, testimonium perhibuit) vltra sex millia plagarum inflicta aliquo tempore fuisse corpori humano, & tamen morti illud non succubuisse? Tam ergò atrocem flagellationem sustinuit Dominus, & cùm speciosus præ filijs hominum fuisset, delicataq; membra è Virginis puro sanguine sumpsisset, eò grauiores ictus, magisq; sentientes & penetrantes in corpusculo suo

sua-

suauissimo, excepit. Describit
Regius Propheta flagellationem
Domini, in persona ipsius con- Psal.
quærentis. *Supra dorsum meum fa-* 128.
bricauerunt peccatores, prolongaue- v. 3.
runt iniquitatem suam. Quid habet
fabrica cum iniquitate? Imò
maximè hîc conuenit. Fabrica
à fundamentis exurgit, & ver-
ticem attingit, non cessatur à
structura nisi perficiatur, tunsio-
nibus malleorum expoliuntur la-
pides: planè idem hîc secutum:
scrutati sunt manib9 carnificinis,
ad medullas ossium & iunctu-
rarum. *A planta pedis ad verticem* Iob.
capitis non erat sanitas in eo, omnia 2. v. 7.
membra liuore, sanguine, tumo-
re, plena concurrerunt ad infe-
renda vulnera, & virgæ ferreæ,
& scorpiones, & catenæ, & cun-
cta dolorē inferentia instrumen-
ta. Prolongauerunt verè iniqui-
tatem incessanter absque requie,
acerbitatibus alijs, ac alijs no-
uis superuenientibus ad mortē
vsque.

vsque. Promisisti Domine destruere templum te posse, id est, Corpus tuum, perfecta destructio fuit dilaniatio, & perforatio membrorum: infatigatus percipiebas plagas, fatigando ipsos percussores: At ego duplicem patientiam tuã vehementer admiror: vnam, quod sustinueris tam fortiter millenas percussiones; secundam, quòd tacitè hęc omnia toleraueris; nulla allata à te excusatio, nulla vox defensionis, nulla petitio remissionis, duplex enim meritum ad nos promanauit inde, Remissio culpæ, & Condonatio pœnæ: pro hac, à pœna æterna liberati sumus, pro illa, à culpa absoluti, Patri æterno reconciliati mansimus. Anima, siccisnè oculis, imaginationeque flagellatum Dominum intueberis? ne flagellareris sempiterno cruciatu, tam dira pro te DEVS sufferre dignatus est, denudatus est, vt tua pecca-

ta, turpes aspectus, denudationes, oculorum lasciuias curaret. Cadens in terram, deprecare Dominum, vt potiùs te flagellis in hac vita corripiat, quatenus euadas percussiones spirituum malignorum. Si enim CHRISTVM oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam, quid tibi non faciendum abiectissimæ & peccatrici creaturæ? Nunc ergò compatiaris Saluatori, vt te introducat eò, vbi non erit ampliùs vllus dolor.

CAPVT XV.

Coronatio CHRISTI spineâ Coronâ.

PAtientissime IESV. Debuit acquieuisse tyrannicum cor Iudæorum, dum discerptũ corpus sacrum tuum, vulneribus ad ossa ipsa pertingentibus, intueretur, sed quia in Inferno nulla vnquã misericordia comparuit, ideo

ideo non iussu Pilati, velut flagellatio, at insolentiâ militum, ex Pharisæorum vel mandato, vel vt magis illis complacerent milites, coronatio spinea, Lucifero ipso ministro & auctore peracta: quæ describitur ab Euangelista his verbis, *Tunc milites*
Mat. 27 v. 27. *præsidis suscipientes* IESVM *in Prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem. Et exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes Coronam de spinis, posuerunt supra caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes.* AVE REX IVDÆORVM, *& expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Descriptio inuentionis Diabolicæ. Quis vnquam legit, audiuit, cogitauit, de tali & tam infami coronatione? Omnia alia tormenta Saluatoris, licet in summo crudelitatis gradu, tamen in alijs etiam Sanctis, & sceleratis, in

minori quantitate & qualitate adhibita; Coronatio spinea sola, in solo CHRISTO & primò & vltimò exhibita. Quis comprehenderet discursu, cur talis cæremonia acerbitatis plena peragetur? Deuota anima, intellectum acue, & deplorando statum tui Redemptoris, ploratu insolentiam & illusionem militũ detestare. Primò ergo tantum scelus non publicè, verecundiâ solâ prohibente, & inimicorum insolentiam, intrò in Prætorio patratum, cohors assumpta tota, vt maiori ludibrio Tragædia decurreret. Deinde veste exuunt Dominum, quæ vulneribus antea illatis ita coaluerat, vt cum dolore summo à corpore auelli debuerit: postea chlamys coccinea, vel vt alij scribunt, Purpureâ superinduta, tum corona ex spinis facta acutissimis, in capite posita, arundo in manu. loco sceptri data, & tanquam

Regi adoratio adornata, & spu-tis facies eius venerabilis con-spersa; vtq́ magis caput tor-queretur, arundine percutieban-tur spinæ, vt cerebrum ipsum acerbissimis puncturis attinge-rent. Quidam ex reuelatione notârunt, septuaginta duo vul-nera capiti fuisse inflicta, & quia nulla pars corporis vacua à pla-gis manere debuerat, nē & ca-put liberum à pœna esset, nouo exemplo corona imposita; quā nouitatem tam accuratè duo E-uangelistæ descripseruut, vt fe-rè vix longioribus verbis, reli-qua puncta Passionis descripse-rint. Quot dolores simul in co-ronatione apparuerunt? caput cruentum totum, corpus inte-grum, detractione vestis ad car-nem sanguine agglutinatæ, pla-gis renouatum, crebra percussio arundine, maiore dolore cere-brum affecit, arundo in manu contemptu plena, flexio genu-

bus,

bus irrisoria, facies sputis fœdata, intolerabilis acclamatio falsi Regij tituli auribus onerosa, vno verbo, succus & quinta essentia malitiæ. Verùm tu Domine, tam funestâ tuâ Coronatione, coronam nobis, quæ vel benè meritis, vel Imperatoribus antiquitùs dari solita erat, promeruisti. Dabatur Corona ob ciues seruatos, & tu Domine tot electos, & totum mundum saluasti, ipso teste Caiphâ, cùm tuâ morte tota gens ad cœlum designata, non perijt. Dabatur muralis, & tu murum Ierusalem in natura humana primus conscendisti. Tuo exemplo in futurum Dauid prophetauit. *In Deo meo transgrediar murum.* Transgressus est, quando è limbo animam eius ad cœlum deduxisti. Dabatur laurea, Tu in victricem coronam spineam commutasti virenti tuâ passione. Tu ipse & in Sanctis tuis vincendo infernum, trium-
 pha-

phasti. Imperatores triplici corona honorabantur, qui mos adhuc perseuerat, Ferrea, nonnè piùs quam ferrea tua Christe Corona, vel potiùs sacrosanctũ Caput tuum, quod tanquam durum ferrum, non cessit spinis, miraculoséq; vitâ superstite sustinuit, superauitq; ? Argenteâ honorabãtur, Et caput tuũ spinis tanquã igne argentum, examinatũ, probatũ, & purgatũ à nostris peccatis, puncturis & acuminibus spinarum, victoriæ & innocentiæ colore album mixto roseo remansit. Honorabantur aureâ, Et caput tuum aureum gloriâ spinis, in natura tua humana toleratis aureo perpetuæ immortalitatis, & incorruptionis dono, vt omnes electi splendescerent, à Patre impetrauit. Anima mea, si fieri potest, vltra terram te proijce, & confuso vultu præ dolore Coronæ spineæ Domini, offer te ipsam in satisfa-
ctioa

ctionem pro delictis proprijs rogans, vt spinis contritionis cor trãsfigatur, quatenùs Corona spinea Saluatoris largiatur tibi cum S. Paulo, coronam videlicet iustitiæ, quam reddet Iudex iustus ijs qui diligunt Aduentum eius.

CAPVT XVI.

Ostensio CHRISTI *à Pilato multitudini, dicendo: Ecce Homo.*

PAtientissime IESV, Iam planè, vt verbis Prophetæ vtar, factus es: *Vermis & non homo*, ostendisti te populo cum iniquo tuo assistente, duo verba proferente: *Ecce homo.* Non carent mysterio. Sic enim forte secum discurrebat Præses: ô Iudæi, obtulistis mihi hunc hominem, qui DEVM se esse iactabat, & nunc ita illum castigaui, & tam duriter egi, voluntati vestræ

Psal. 22. v. 7.

Ioan. 19. v. 5.

importunè assentiendo, vt nec hominis quidem speciem præseferat, per irrisionem appello, *Ecce homo*, quasi minimè homo Ad quid dixeras hoc Pilate? vel potiùs, cur paßionem tuã CHRISTE, hac ceremonia illustrasti? Concedas Domine diuinare datâ veniâ, de facto. Aliquot causæ reperientur, vt contemptum tui Domine vlcisci poßim compaßione. Aut ad sedandos appetitus Iudæorum inordinatos factum, vt aspectu hominis amisso, CHRISTVS sisteret pertinaciam intentatæ condemnationis, non secutus effectus. quod enim in meritum cedere cœlum decreuerat, in maius crimen Barathrum verterat, voces impiæ, commiseratione exclusâ, *Crucifige* resonabant; sibiq; misericordiæ indulgentiâ ablatâ, pœnam vlteriorem inuocabant, & clausis visceribus, clementiam Diuinam admittere prohibebant.

 Aut

Aut exinanitio tua CHRISTE (vt non tantùm cum S. Paulo: *In similitudinem hominis factus, & habitu inuentus vt homo*, sed iam non homo,) causa. Nam ita charitas humana tibi illudebat, vt non humanè, amore ingrato respon- Phil. 2. v. 7.
derit, & quæ compunctionis dolore & pudore, etiamsi DEVM non agnouisset, innocentiam iniuriosè tractari, permittere non debuisset contrariâ insatiatâ crudelitate, iam non homini, pœnā acerbiorem, & quæ vitam deleret, clamore postulabat. At te ad omnia paratum Domine inuenit, solum modo, vt perditum genus humanum à perditione æterna præseruares. Aut videbas hominē aberrasse à fine homini destinato, velut Creator, & in oculis tuis non homo, sed iumentum apparuit, secundùm Dauidem: *Homo cùm in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus* Psal. 48. v. 18.

est illis. Quid maius? adhuc Diabolis factus est homo similis, propter peccatum. Tu ergo Christe, qui sarcinam peccatorum alienorum portandorum in humeros tuos susceperas, vt ostenderes fœditatem scelerum, speciosus forma præ filijs hominum, factus es adeò deformis, vt & pro homine non agnoscereris, & repræsentando illusionem dæmonum, qui peccatoribus pœnitentibus insultant, Idæam irrisionum tuo glorioso vultu à Iudæis exhibitam, penicillo charitatis depinxisti. Aut imitari tua facta exemplo docuisti, vt homo, se ipsum & conscientiam examinando, An sit homo, diligenter inquirat? An digna Christiano homine peragat negotia, an nomen cum operibus conueniat? an in Baptismo abrenunciatione Diabolo factâ, re ipsâ promissum expleat? an doleat cum sui iuramenti formam vio-
lat?

lat? Conſcientia enim vniuscu-iuſque eſt iudex vt Pilatus, qui hominem, vel non hominem eſſe, ſententiâ ſuâ certò declarabit. Aut cogitandum, quid erit in die iudicij, quando CHRISTVS vt Iudex apparebit, & an me hominem inuenerit, vel potiùs DEI Patris & ſibi cohæredem. Ad hoc enim Dominus venit in mundum, vt mundus & homo ſaluetur per ipſum. DEVS factus homo, vt homo eſſet quaſi DEVS. DEVS in præſentatione Pilati, in paſsione factus non homo: vt homo particeps eſſet felicitatis Diuinæ. Quàm pulchrum erit audire vocem DEI in iudicio: *Ecce homo*, qui imitatione mandata veri DEI & hominis ſecutus in hac vita, præmio vt homo bonus, coronabitur. Nam ſi, *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* DEVS ſapiens reſpondebit inſipienti in iudicio, in corde ſuo; *non es homo*, itaque cum An-

psal. 13. v.1.

ge-

gelis reprobatis æternùm cruciaberis, vti nesciens DEVM, & tanquam inimicus in perpetuū DEI. Anima mea seriò multoties occurrat tibi figura CHRISTI: *Ecce homo.* Intuere vultum deformatum, rumina Pilati ludibrium, cogita Iudaicarum insultus linguarum, dicendo ad Redemptorem: *Vt iumentum factus sum, & ego semper tecum.* Sim semper tecum meditatione passionis tuæ acerbæ, vt virtute eius mediante, præparata gaudia ingredi merear, quæ veris hominibus ad Cœlum prædestinatis, cruore benedicto promeruisti.

CAPVT XVII.

Timor Pilati ob non perdendam gratiam Cæsaris.

PAtientissime IESV. Hucusq; Præses, non Iudicis, defensoris potiùs munus obibat tuæ inno-

innocentiæ, iam fidelis propugnator, iam voce: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, adeò territus est, vt cœcitate internâ percussus, innocentiæ condemnandæ iniquum Iudicem se præbuerit. Mirabile. Verba terrebant circa passionem tuam: & Petrum, ancillæ vox: & Pilatum Iudæorum acclamatio; neque tantum timor secutus est, sed tanta metamorphosis, vt qui ante Iudæis commiserat decisionē causæ, neq; se maculare decreto constituerat, iam cùm audiisset hos sermones Pilatus (vt Euangelista ait) magis timuit, ac non rogatus, adduxit foras Iesvm, & sedit pro Tribunali. Ego potiùs, timorem priorem considero versum in audaciam, constantiā in leuitatem: Primò timebat nè perderet innocentiam, nunc audet eam condemnare. Primò nullâ causâ inuentâ, noluit Iudicis personam sustinere, nunc assidet

Ioan. 14 v. 12.

sidet Tribunali. *Ecce Rex vester.*
Ioan. 19. v. 14 &, *Regem vestrum crucifigam.* Pri-
mò luctabatur cum Iudæis, de
Ibid. v. 15. dimissione Domini, nunc tradi-
dit eis illum, vt crucifigeretur.
Pilate, vnde tanta mutatio, in momento timor vanus, expulit verum timorem, audacemq; reddidit timor seruilis? verè Propheta dixit de talibus timoribus.
Psal. 13. v. 6. *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Cæsarem timuit, si dimisisset Saluatorem, & ideò tamen
Psal. 52. v. 6. proscriptus dicitur, ac odium incurrit eius, cuius gratiam aucupari posse, iniusto decreto sibi imaginabatur: videtur eius sepulchrum Lugduni Gallorum, signum, quòd in exilio vitam miseram finierit. O vanæ spes & timores mundani! Timor Pilati, est doctrina, & Politicorum modernorum instructio, quam sæpissimè imitantur. Heu quando causa pauperis in iudicio proponitur, quoties timor, causidici instar condemnat iustitiam
inno-


inopis? verbum *Non es*, vel, *non eris amicus*. adeò perstringit Iudicium Intellectûs, vt qui antea propugnatores veritatis fuerant, vertant subitò folium, & subtilitate euertunt iustitiam. vtinam hoc non esset, falsoq; hæc notarentur: Agitur de fide & libertate Ecclesiastica, timor obnubilat cor, veremur bella, confusiones, amissiones rerum possessarum, vsurpamusq; crebro illud Euangelij: *Sinite crescere vsq; ad messem*: Timor talis remissiores in tuẽdis iuribus Ecclesiasticis, & nunc & ante facit catholicos; timor hic exprimitur à te Domine in Euangelio per noctem, & ei assimilatur, quâ obcæcata mens humana, quasi dormit somnoq; graui oppressa iacet, interim inimicus homo superseminat zyzania, inde tot hæreses, schismata, scandala enata, quæ iam difficulter eradicari possunt, & quod dolendum,

Mat. 13 v. 30.

dum, multiplicantur ferè quotidie timore nostro permittente. Timor Pilati regnat in cordibus mortalium, quando citiùs DEVM quàm hominem offendere malunt, ad nutus Dominorum statim mandata Diuina violant, & quod magis, ad ictus oculorum Heri, peccata exequuntur. Anima mea fuge talem timorem: si optio daretur tibi, quem lædere malles an DEVM an vero hominem, non occupet cor tuum momentaneum odium hominis, nec spes vanæ gloriæ, & præmij consequendi, considera illud dictum. *Spes impij tanquam fumus est, qui a vento diffunditur*, potiùs timore DEI arma te, qui in gehennam mittere potest te sempiternam. Si nunc interrogares Pilatum, quomodo ei placet timor Cæsaris? responderet in cruciatu inferni detestando timorem citò transactum, de timore autem Diuino

qui;

quis dubitabit, quod vertetur in ſummam conſolationem, & tranquillitatem animi? Roga ergo anima mea Crucifixi imagini adſtans, vt vero timore ſuo cor tuum Saluator repleat, time illum, qui æternitatis bonæ & malæ clauem tenet: & timore (ſi amor inſufficiens apud te eſt) inferni, ac tremendæ æternitatis, contemne timores mundanos, & potiùs tantùm proficere coneris, vt tuus timor vertatur in amorem. Non timuit Dominus pœnas pro te miſero nocente ſuſtinere, amor expulit timorem, imitare tu quoq; Ducem tuum, neq; timeas pati compatiendo CHRISTO, & redamando eundem, dic effuſo corde: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim* (non ſæculi) ſed *tuis timui.*



CAPVT VIII.

Lotio manuum Pilati.

PAtientissime IESV, Ceremoniá Politicâ mundi, ante condemnationem tuam, visus est Pilatus, lauit manus coram populo
Mat. 27. v. 24. dicens: *Innocens ego sum a sanguine iusti huius, vos videritis.* Pilate, duplici corde dicis, neq; verba tua concordant facto, si innocens est, quare condemnas? si nocens, quare iustum fateris & vocas, culpamq; in alios transfers, dicens: *Vos videritis?* aquâ né tantum delictum abolere & abluere te putas? contrarium Regi pœnitenti operaris, ipse
Psal. 50. v. 3. non se lauat, sed lauari orat. *Laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et tu lauas te, simulq; confiteris iniquitatẽ, inquinarisq; magis lotione, cùm persistis in perdendo iusto, & tamen mundum te putas, alios pec-

peccato inuoluendo: In hoc bene prophetasti; *Vos videritis.* vident, & videbunt Iudæi, quanto scelere poluerunt sese, quantâque maledictione propria capita & descendentium, inuoluerunt; dolenda sententia eorum, & decretum ab ipsis in se ipsos latũ.
Sanguis eius super nos, & super filios Mat. 27.
nostros. Operuit illos vindicta, v. 25.
& temporalis & æterna. In spiritu condolet illis Psalmista, & rogat intercedendo, inducens
se ipsum in persona Iudæorum. Psal.
Salua me DEVS, *quoniam intrauerunt* 68.
aquæ vsque ad animam meam. &, *Veni* v. 2.
in altitudinem maris, & tempestas demersit me. A qua sanguinis CHRISTI, vlta est Iudæos per Romanos: in sanguine Domini tanquam in rubro Mari, perierunt cum Pharaone; altitudo iudiciorum Diuinorum, demersit illos in profundum infortunij, tantaque tempestas exorta, vt dissipati & vagi, ferè vsque ad Aduen-

tum Saluatoris in Iudicium, eie-
ctiq; ex habitationibus suis, mi-
serè vitam sustineant. Non re-
iecisti tamen, Domine, Dauidis
petitionem, tandem in fine mi-
sereberis eorum. quod idem de-
Psal. 105. v. 47. cantat. *Saluos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus, vt confiteâmur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.* Verùm quale hoc mysterium? Pilatus aquâ lauat manus, & Iudæi de sanguine clamant, *vt sit supra illos, & filios eorum.* Aqua hæc immunda fuit, quæ sanguinem effundendum declarauit tuũ, Domine. Intellexerunt Iudæi, & solitâ malitiâ appetebant sanguinem: Pilatus aquâ innocentiam suam probare conabatur: Iudęi etiam, sanguinis profusione tui: Pilato quasi veniam promittebãt in se & suos assumentes culpam. verè dixerunt, *Super nos*: nam non pro illis (quoad efficaciam) effusus est Sanguis tuus, ô Redem-

demptor, transilijt illos meritum Passionis, & nobis applicatum. Ideò postea à Iudæis neq; Apostoli, neq; doctrina illorum acceptata, & hoc est quod S. Paulus alloquendo eos dicit. *Quandoquidem vos indignos iudicastis* temine Euangelij, ibimus & *conuertemur ad gentes.* Sicq; receptum à gentibus Euangelium, quod simul fructum Passionis ijs applicauit, & contulit. Anima mea, age gratias humillimas Saluatori, quod non sis ex numero Iudæorum, quos sanguis eius condemnabit, lotionem imitare non Pilati, sed potius Dauidis. Aqua illa versa est in sanguinem, hæc posterior, vocatur aqua pœnitentiæ, exprimet illa sanguinem: & dignum est, vt sanguis sanguine rependatur, si non re, saltem voto & mortificatione. Quis scit, an non exprimere voluit Pilatus illâ lotione, repræsentareq; iniustorum iudicum exemplar,

qui leui aliquo dolore, extrinsecus facto, sanguinea decreta eluere se putant, sanguineas maculas manuum, subtili eleemosinâ redimere sibi pollicentur. Falluntur. Pilato non profuit aqua, nec sanguis Iudæis, nisi in perditionem. DEVS auertat à Iudicibus pœnam similem. Tu anima, te ipsam iudica, ne iudiceris à Iudice iustissimo & terribili, neq; simplici aquâ, verùm durâ pœnitentiâ induta, exora, ne frustrà pro te Sanguis CHRISTI effusus in die iudicij inueniatur: non sit *supra te, sed per te, & in te,* ad minimum vnam guttulam postules, satis erit pro tua salute, quæ pro toto mundo sufficeret. Roga ergò, vt conducat te illa ad vitam, quæ data est credentibus, & quam promeruit morte suâ DEVS & homo simul.

CAPVT XIX.

Condemnatio & decretum infame Pilati contra CHRISTVM.

PAtientissime IESV. Pilatus itaq; assecuratione Iudæorũ fretus, & se immunem à delicto reputans, decretum tulit contra te infame, vnum tale decretum à condito mundo, cum homo DEVM, Peccator puritatem condemnat. A sæculo non auditum, nec audiendum, in iudicio comparuisse Hominem DEVM, & huic simile, vitam morte punitam. Pilate, si melius trutinasses, & in ferenda sententia deliberasses, fortasse mutasses sententiam, at orbus factus es, timor impertinens, non audita veritas. aqua sordida quâ lotus es, perfudit oculos tuos ne agnosceres Dominum, futurumq; omnium & tui Iudicem; Data

quidem fuit tibi potestas, vt ipse
Ioan. 19. v. 10. fassus es, dicens. *Potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te.* Verùm abusus es
eâ tibi desuper concessâ, erra-
sti miser in electione, quia supre-
mam potestatem iniquè iudica-
sti: iudicium tibi assumpsisti, &
illud non conscientia, non ius,
non æquitas, magis respectus
Iudæorum, & gratia Tiberij de-
cretum formabat. Crudele &
terribile iudicium illud, quo in-
nocentia absq; causa legitima,
solo causidico inuidiâ assistente,
decernitur punienda. Tua Do-
mine benignitas, & amor pati-
endi effecit, vt tanquam latro,
& latronum pessimus ad dete-
standam mortem fueris designa
tus, cuius decreti, non alia cau-
sa, nisi vt nos á decreto æternæ
liberares damnationis. Vellem
imaginari quale iudicium fuerit
de hoc contra te decreto lato, In
ferni, Terræ, Cœli, video vbiq;
& do-

& dolorem & triumphum. Infernus triumphat, cum inuoluit Pilatum Iudicem, & Iudæos peccato, qui iniquè tulerant sententiam; versus triumphus in dolorem, agnouit enim plenè infernus hoc vno decreto à pœna gehennæ, & formidabili decreto genus humanum liberatum. Terra triumphat de iudicio contra te prolato, cum sublatus fueris, qui Iudæis vera dicere, & redarguere scelera illorum liberè assueueras. Dolet etiam terra, cum multi reuerterentur post obitum tuum percutientes pectora sua, & ad compunctionem reuocarentur, & eadem terra tremore præter naturam, amissoq; splendore mærorem testabatur. Cœlum triumphat quoq;, pace facta, mediante hoc decreto, cum terra, eâq; publicatâ superis; Dolor occupauit omnes Cælites qui tam indignè tractari & iudicari Creatorem

torem à creatura videntes, cō-
mouebantur testatiq; sunt, per
solem & Lunam, obductam ni-
gredine, quâ amaritudinem pro-
priam declarabant: Quid tú fa-
cies anima, condolebisnè Domi-
no tuo, an gaudio exultabis, au-
dito hoc decreto? Relinque in-
fernum, neq; triumphum, neq;
lætitiam eorum admitte, imitare
potiùs Cœlum & terrā, vtriusq;
factum meditatione tuâ com-
prehende, compassionem exci-
ta, gratias læta decantando, si-
mulq; profundum dolorem, ob
tam crudelem & ignominiosam
mortem Saluatoris. Ad hoc e-
nim venit in mundum, vt se exi-
naniret propter te, teq; lucraré-
tur: passus est se condemnari,
vt reatuum tuorum veniā apud
Patrem impetraret: non appel-
lauit ab iniustissimo decreto, vt
tu appellareris Filius Dei & Co-
hæres in æternum Christi: sta-
timq; triumphi causam inuenies,
cum

cum poſt tale decretum Saluator de Inferno, & Mundo, & Carne duxit triumphum: & tu eius virtute omnes hos inimicos ſuperare poteris, dicendo: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Phil. 4. v. 14. Decreto Domini iniuſto decretum illud Paradiſi relaxatum fuit, aperti enim ſunt Cœli, & portæ patefactæ, cuilibet liber ingreſſus in illud: non ſicut ante paſſionem CHRISTI, Sanctiſsimi etiam homines, & in innocentia ex hac vita ſublati, non ſtatim potuerunt ingredi Cœlum, expectabant aliquot millia Annorum, liberationem à Meſsia, vt Abel, Abraham, & reliqui clamabant aſsiduè: *Rorate cæli deſuper.* Iſaiæ 45. v. 8. Nunc apertæ ſunt portæ, & multis ad Cœlum via patet, vti de S. Benedicto & Franciſco legimus, hi, abſq; vllo impedimento euolarunt ad conſpectũ DEI. Ergo anima mea alacriter perge, in curſu vitæ tuæ, & ſupplex

plex ora Redemptorem, vt suo decreto iusto, iustam sententiam suam pro peccatis condemnantem mitiget, quatenus in dissolutione corporis, posis expectare iucundum illud, *Venite*, præualenteq; misericordia eius, capere posis possesionem hæreditatis æternæ.

CAPVT XX.

Processio CHRISTI *ad Montem Caluariæ induti priùs veste.*

PAtientissime IESV, Decreto perlecto cõtra te publicè, veste quâ indutus fueras ad ludibria & cruciatus, exuūt te apparitores, & abstrahunt à Sacrosancto corpore tuo, & iterum ignominiosè denudant, restituuntq; priorem vestem, quæ sanguini tuo coniungitur, & vulneribus recentibus adhæret; Præcedit Magistra-

ſtratus & turba, ad talem actum, multa ſe vndequaq; effundit, vt tuæ lamentabili proceſsioni adſint quàm plurimi ſpectatores: Tibi verò iam ex plagis innumeris verberibuſq; millenis, tum ex ſpinis penetrantibus cerebrū, debilitato, crucem grauiſsimam imponunt portandam. O crudelitas abſq; vlla nota miſericordiæ! O duræ ceruicis Iudæi! quod antea peſsimè optaſtis, vt verum Meſsiam ad mortem condemnaretis, peiùs adhuc continuatis, neq; de leuamine aliquo afferendo cogitatis, ſed onere inſupportabili venerandos humeros deprimitis. In ſpiritu Dauid intuitus hanc tuam CHRISTE Proceſsionem exclamat. *Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.* Ecce hoc fit; Pſ. 84 v. 14. iuſtitia Patris ante te ambulat, non ex tua culpa, quæ nunquā eſt, nec fuit, noſtra delicta à te ſuſcepta, talem iuſtitiam meruerunt,

R. runt,

runt, (respectu enim Personæ tuæ Diuinæ, æterna pœna in tantam & tam acerbam commutata est) quasi oblitus Pater sui proprij Filij in corpore benedicto nostros excessus vltus est, & iustitiam ideò præcedere iussit, vt abundè illâ placaretur. Gressus verò tui, quos posuisti in terra fixos, quàm terribiles causant dolores? Non possunt esse horribiliores, quã quod tuo sanguine conspersi sint: nescio an felices, an infelices nominem gressus tuos cruore tuo manantes. Felices inde, nam porta Paradisi antea occlusa, rubore tuo viso quasi erubescens aperta est: Infelices, Iudæos enim tanto sanguine conspecto plùs quàm adamantina corda habuisse: respuerũt enim propriam salutem, neq; emolliri se passi sunt cruore Agni immaculati. Ignoro an aliquis locus fuerit vacuus & immunis à conspersione liquoris tui purpurei,
&ni-

& nihilominùs contemptus, & vi-
lis habitus, ad paucorumq; trãſiit
liberationem. Poſuiſti in via
greſſus tuos Domine, vt omnes
clarè viderent, neq; errare poſ-
ſent, ſanguine tuo propterea no-
taſti, & cruce veſtigia impreſsiſti,
vt duplici viâ ad cœlum huma-
num pertraheres genus. Marty-
rum vna, quæ imitatione paſsio-
nis tuæ, exactè cuſtodit greſſus
tuos, pro ingentis pretij ſangui-
ne, proprium in recompenſam
(licet in comparatione exiguum,
& non adeò mundum) offert,
munditiem conſequens tuo:
Confeſſorum & mortificatorum
altera via, quæ pondere portan-
dæ crucis conatur aſſequi præ-
euntem te Dominum, & vocan-
tem: *Qui vult venire poſt me, tollat* Matt.
crucem ſuam. Præceſsit ergò & 16 v.
iuſtitia cum cruce tua, & veſtigia 24.
cum ſanguine iter monſtrant.
Vtinam & tu, mea anima, ſequi
poſſes vnam ex iſtis duabus viã,

trita est, & à multis per tot millia annorum feliciter confecta: stude vt ingrediaris illam, perueniasq; ad montem, non ignominiosum at gloriosum. Artifex enim cœlestis, crucem contemptibilem mutauit in adorandam, & montem Caluariæ in montem gratiæ. Vel si quis interpretaretur illud Regis: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Iustitia tua ante te in iudicio, id est, ante incredulos, & Iudæos, & reprobos ambulabit, & semper, & in æternum; hi misericordiâ iudicati indigni, quia te iustitiam ipsam non agnouerunt, imò quod peius, iniustè interfecerũt: ponet autem gressus suos in electis, videlicet, caracterem indelebilem prædestinationis ad vitam æternam, quia ipsi te norunt, & tu nosti eos dicens: *Sicut*
Ioan. 10 v. 15. *nouit me viuens Pater, & ego agnosco Patrem:* ideò, *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Idem Psal-

mographus: *Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Impij aberrarunt à gressu Domini, & in densas syluas peccatorum, & laqueos inimici, iustitiâ præeunte, inciderunt & perierunt: Iusti autem sæpè per contemplationem cruoris CHRISTI, & desiderium compatiendi, tum per afflictionem membrorum suorum, vestigijs adhærent tuis, ideò error procul ab eis, notitiaq; perfecta gressuum tuorum adest illis. O Anima, anhela assiduè ad Crucifixum, vt verè vestigia eius custodire valeas, ad ipsum obitum tuum, rogando; quatenùs processio tua vltima inhæreat gressibus eius, quibus perducaris ad montem salutis.

CAPVT XXI.

Coactio Simonis Cyrænei ad portandam Crucem cum CHRISTO.

PAtientissime IESV, Tandem compassio valdè sera inuitauit Iudæos, vt videntes te Domine grauatum cruce, inuenirent quendam Cyrennæum venientem de villa eumq; inuitum angariauerunt ad portandũ tecum Crucem. Parua pietas prorsus, minor commiseratio, ex tanto numero & tam copioso ne vnus quidem repertus, qui sponte accurreret, associaretur tibi atq; adiuuaret in tam graui onere. Forte hæc causa, quod tu primus tanquam Dux crucíferorum, qui post te baiulare nitebantur crucem, exemplo tuo præiuisti, misera conditio humana nostra: fugimus crucem, tanquam rem detestandam, & potiùs DEVM relinquimus, ne Crucem feramus. Quot ob non portatam crucem temporalem, æterno macerantur supplicio? Quot non lubentes cruci manci-

cipati gemunt, blaſphemant, lamentantur? qui ſi ex neceſsitate facerent virtutē, & alacres impoſitā crucem ſuſtinerent, præmio honorarētur infinito, & nunc cū gemitu ad alterū gemitū æternorum cruciatuū deueniūt: Quot imaginantur ſibi & pollicentur, ſine baiulatione crucis Chriſtianæ, peruenturos ſe læto paſſu ad montem Cœleſtis Ieruſalem? & falluntur. Ego omninò puto iſtum Cyrenæum figuraſſe electos, (licet an ipſe ſit in numero eorum relinquo diſputādum) Electi in hoc mundo viuentes, pergunt ex villa vteri materni, curſu toto vitæ ſuæ in Ieruſalem ſupernam, & vellent intrare abſq; cruce, fieri id non poteſt: obuiam habent paſsionem tuam, ibi per inſpirationes & occaſiones, aliquando etiam per vim, vt Paulus Euſtachius, & alij multi, compelluntur ad portandam crucem, & tum armatis illâ, primum

mum ingressus patet ad Ciuitatem illam, triumphis, & ornatu plenam. Hoc mirum, repertum vnum solum, & eum coactum, vt tibi Domine socius esset in ferenda cruce. Terret cor animæ vniuscuiusq; paucos esse imitatores Crucis, propterea pauci electi, ideo suspirandum dilatato corde : vt simus de electis. Dic Anima mea, Coge Christe tribulationibus, immitte angustias; ad Crucem tuam baiulandam compelle intrare : Durus quidem labor, at præmium æternum. Quanta benignitas Saluatoris, non vult vt integram crucem feramus : grauis est : nec Devs vt homo, voluit portare solus, ac sine auxilio eam ferre, ideò etiam Crux Christi non integra, distributa in minimas particulas. Minima sunt quæ nos toleramus, respectu dolorum Domini. Tres circumstantiæ in adiutorio Crucis tuæ notatæ. Vna, opus

opus esse adiumento alicuius; Alia, cogere oportet, vt feratur commodiùs crux; Tertia, non deposita ea ex humeris, nisi in loco à DEO Patre assignato. Passio Redemptoris est nostra imitatio. Quis posset nostrûm in humero deferre crucẽ in hoc mundo, nisi illius adiutorio suffultus, qui de seipso loquitur clarè. *Sine me nihil potestis facere.* Nõ deest auxilio CHRISTVS, qui vbiq; prçsẽs est, nouitq; necessitates nostras, ac paratus semper ad nos adiuuandos, sed quomodo potest cogi DEVS? Potest omninò, rogari vult & non semel, petere enim ab illo non est importunum esse, verùm obedire mandatis; ipse enim iussit vt peteremus. *Petite & accipietis.* Oratione, bonisq; alijs operibus cogi desiderat. Quid iam sperandum, nisi perseuerantia? quæ omninò succedet: non enim deponetur crux, nisi loco, & tempore à DEO præfixo,

Ioan. 15. v. 5.

Mat. 7. v. 7

in monte illo gloriæ, vbi nulla crux, hic in mundo ipsa remanet: Quid dices anima, si ad oculum videbis, nihil te circa se habere, nisi crucem? Caro non ne crux? quæ te ad malum incitat, & retrahit à bono. Plumbea est, ex gleba terrena efformata, idcirco ad imum tendit, teq; secum semper compellit terrena sapere. Mundus nonnè Crux? qui blanditijs suis & promissione longæ vitæ, seducit, pollicendo vanè vana? Diabolus nonnè instrumentum crucis? misericordiam eleuando Dei, & iustitiam è contrario parui æstimando, vt te non hanc breuem Crucem, sed sempiternam portare suggestionibus suis faciat? Conscientia, nonnè crux? quæ te assiduè torquet, & dilaniat, obijciendo varios scrupulos, & peccata in conspectu tuo statuendo, & quandoq; ad desperationem inducendo?
Ho-

Honores, voluptates, damna, calamitates, inuidiæ immissæ, non ne cruces? Procide ergò Anima ad pedes CHRISTI crucem baiulantis, & apprehensis illis, cum lacrymis, inclinatoq; vultu, ora, vt quando sarcina corporis tui deponenda erit, sit tibi Dominus in refrigerium, accurrat inuitatus precibus tuis, & bono fine perseuerantiæ tua benè facta coronet, vt in cœlestem Hierusalem ingredi, & montem mõtium ipsum DEVM conspicere in maiestate illius possis.

CAPVT XXII.

Trinus Christi lapsus cum Cruce, vt traditio quorundam.

PAtientissime IESV. Admiror tuam debilitatem, cadis sub cruce; quid? nunc ante te procidunt omnes creaturæ, de te canit Ecclesia: *O Radix Iessi qui* Isaiæ 11. v. 10.

stas

ſtas in ſignũ populorũ ſuper quẽ conti-nebũt Reges os ſuum, quem gentes de-precabantur: Video nunc omnia contraria, corruis in deriſum Iu-dæorum, contines ipſe os Sa-croſanctum non ſolum coram Regibus ſed etiam coram Iudi-ce vno Pilato, Gentium nulla de-precatio, potius totiùs popoli auditur mala imprecatio. Quid cauſæ? Cur robur & vires tuas abſcondis Domine, quas præ-dicat in ſpiritu Dauid. *Fortitu-*
Pſal. 117. v. 14. *do & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Anima, reco-gnoſce beneficium, conſidera miſericordiam, aduerte intrinſe-cè ſapientiam Dei, infirmus fa-ctus eſt, vt nos firmos redderet, cecidit vt nos ſurgeremus, & glorioſè reſurgeremus. Debilitas humanæ naturæ aſſumpta, in ter-ram eum deiecit, vt nos natura diuina eius ad Cœlum eueheret. Verum cur notatum de terno ca-ſu? ſtude meditatione, à longè
rima-

rimari occaſionem animæ? vnũ DEVM, ſed trinum in perſonis peccatis noſtris offendimus, Secunda Perſona Trinitatis, ſatisfaciendo in natura humana, trino caſu reconciliat nos iræ ſupremæ: cœli Domino offert vultumq; cælitum impetrat ſerenũ. Triplicia ſunt hominum ſcelera Orginalia, venialia, mortalia, hæc abluere venerat mediator trino caſu delet præcipitia noſtra, impetrat veniam, cœlum aperit. Peccamus nati, peccamus dum viuimus, peccamus dum morimur, ter ergo cadere debere Saluatorem decreuerat æterna ſapientia: Tria loca poſt peccatum aſsignata nobis, vterus cum delicto maternus, mundus ſemper malignus, infernus abſq; fundo miſericordiæ: Trinus lapſus CRHISTI præſeruauit mortales qui ad vitam ſunt prædeſtinati, ab hac triplici ruina. Triplex pœna debebatur nobis.

Accidentalis, Diuturna, Æterna. præseruati sumus medicinâ trinâ casus Domini nostri, Peccamus fere triplici modo, soli, cũ alijs secreto, publicoq; scãdalo præbem⁹ exẽplum: expiatione trinâ casus CHRISTI placatus est Pater æternus, & facili pœnitentiâ remittuntur scelera nostra. Habemus tres potentias quibus læditur Diuina Maiestas Intellectu, voluntate, memoria, distinctæ sunt, & diuerso modo vindictam à DEO expectant, ideò distincti casus Redemptoris, vt variarum noxarum elueret demerita. Triplici modo prohibebantur animæ ingredi cœlum; per retentionem, vt Elias & Enoch; per Limbum, vt Patres; per Purgatorium, qui non expletâ pœnitentiâ è mundo excesserunt, nulli olim rectâ viâ ad thronum DEI concessa. Passio, & trinus casus CHRISTI, liberum accessum indulsit ad Cœ-

cœlum, nullus iam mortalium cohibetur ab eius ingreſſu ipſo die deceſſus, ſi abſq; peccato moriatur, & ſatisfactione abſolutus compareat: non cum Elia ad retentionem, non cum Patribus ad Lymbum, nō cum aſperſis maculâ ad purgatorium: directo tramite, viâ Paſsionis conſcēdit Paradiſum, poſſeſſor eius fit, aperiuntur portæ à Ianitoribus conſtitutis, agnoſcitur dignus intromiſsione: fit deniq; ex mortali immortalis. Videtur quidem nobis exigua res peccatum, at in conſpectu Diuino pondus habet, & demergit ad centrum centri. Cogitatio noſtra obſcæna, quid eſt niſi ventus, & tamen ſolidam pœnam meretur! ita vt primus caſus neceſſarius fuerit CHRISTI, vt noſtrarum cogitationum ſubueniret malo: verbum leue apud nos, de eo nihilominus rationē ſumus reddituri in iudicio, pœ-

nam, & hanc mitigauit secundus CHRISTI lapsus, dum opere implemus desiderium noxiū, summa subsequitur offensa Diuina, quam tertio casu CHRISTVS auertit. Difficulter ascenditur mons cœlestis: hanc difficultatem amouit Dñus trino casu. Anima mea, non ter, sed si posses cum S. Iacobo, ter centies cadas super vultum deformem tuum, supplicando, vt quandoquidem non ter, verùm infinities DEVS erexit te ne perires, erigat te Passione suâ, & resurgere faciat constanter à praua & inueterata tua consuetudine peccandi, à tot occasionibus impedientibus salutem tuam, & in hora vltima ab inferi casu, constituatq́ te erectum & stantem, ad laudes DEI, & canentem illud Canticum, quo nunquam satiari possunt electi.



CAPVT XXIII.

Veronica occurrit CHRISTO, *& faciei eius impressio.*

PAtientissime IESV, Ecce multò meliùs Veronica pia mulier tibi compatitur, quam gens Iudæa, non angariata, non coacta, festina occurrit, & visâ tuâ facie, quam antea nouerat, decoram, splendidam, candidam, rubicundam, delicatã, in qua aspicienda visus non potuit satiari Angelorum, multò minùs hominum, iam immutata (quod & parce) vt verum fatear, vix agnita, spurca, fœda, sputis deformata, lacerata, conuulsa, conspecta. Obstupuit S. fœmina, immisericordiamq; tot hominum circumstantium detestata, accepto linteo, abstergit benedictum sanguinem, & faciem repletam cruore. Secuta statim merces, vultus Domini tanquam in speculo

elaboratus, tanquam exciſus, tan quam impreſſus, remanſit, remanet, & remanebit. Sis benedicta mulier, quæ & CHRISTVM aliquomodo conſolata es, & opem aliquam exterio ſanguine attuliſti, nobiſq; vultum eius horribilem aſpiciendum reliquiſti, vt qui tempore Paſsionis eius, nec nati fueramus, nunc non tantùm auribus, ſed & oculis videndo dolores eius lacrymis perfunderemus, (obiecta enim magis mouent ſenſus) Roma oſtendit veronicæ meritum, ſimulq; incitat ad gratitudinem animam Chriſtianam, & ad patiendum uiciſſim pro Domino & ad fidem inuitat. Anima deuota cur non inueſtigas, quare voluerit relinquere Saluator vultum hunc impreſsum? DEVS & natura nihil faciunt fruſtra, vel, vt quàm gratum eſſet obſequium veronicæ declararet, reliquit veſtigium faciei in lynteo, quo oblectaretur
deuo-

deuota fœmina præmiumq́ ma-
ius in cœlo certò certius speraret.
Vel, vt in nobis excitaret desi-
derium sui, quatenus occurra-
mus ei in passione, meditatio-
neq́ & assidua cogitatione, in-
sculpamus in cordibus nostris
Veronicæ similem imaginem,
quod & in S. Clara sepulta in
monte Falconis Peregrinis osten
ditur, quod & mihi aspicere con-
tigit, dum Passionis CHRISTI my-
steria quasi arte sculpta, in
eius corde fuisse monstrantur.
Et in S. Francisco imitatore cru-
cis CHRISTI, extra, claui in manibꝰ
& pedibꝰ, & apertio lateris in cor-
pore eminebat, interiorē compas-
sionē visibilibus signis proden-
do, tum & alij Sancti experti
sunt idem, reuoluētes memoriâ
efficaci, amaritudinem dolorum
Saluatoris. Vel, vt à Veronica
vultus exceptus Domini, terre-
ret inimicos crucis, & opitula-
retur oppressis ab eis, quod fre-
quen-

quenter videtur Romæ, vbi multi obsessi sacrâ imagine Veronicæ elatâ liberantur. Vel, vt tam terribili visu faciei CHRISTI, homo consideret iudicium vltimū. Si enim ille immeritus, tantopere faciem immutari sibi permisit, qualis vultus erit damnatorum? Et ipsa facies iudicis, apparebit terribilis, cum verbo, *Ite*. repellet à iucunditate visionis [illegible] inferno, destinatos. Neq; hoc extra mysterium, quod non in alia materia, at in linteo depingere voluerit CHRISTVS vultum proprium. Qui enim exprimere conatus fuerit in corde suo, & repræsentare sibi crudelem eius passionem, debet esse mundus, & albus. Munditiem requirit & albedinem internam à nobis DEVS, fugit ab immundis, nec videri se patitur, dicēdo:
Mat. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniā ipsi* DEVM *videbunt*. Conformando se DEO in mundicie in hoc mundo, & in
cœ-

cœlo in albedine casta, quisquis ille erit, videbit, prout in se est, DEVM. Anima mea, occurre cum Veronica Redemptori, atque in secreto conclaui cordis, pleno compassionis affectu, intuere faciem à Veronica exceptam indecoram: Deformis enim factus est, vt te formosam faceret, immutarat splendorem, vt tu sicut Sol radios emitteres lucentes; exuit se venustate, vt te indueret veste immortalitatis. Verùm hîc priùs munda per Confessionem, & contritionem conscientiam tuam, hac visâ, certò relinquet similitudinē faciei suæ in visceribus tuis, vel potiùs te in se transformabit: vt sicut nunc intueris mente vultum dolorosum, ita in cœlo aspicias vultum eiusdem, re ipsa gloriosum.



CAPVT XXIV.

Expendenda verba prolata à CHRISTO ad filias Hierusalem, Nolite flere super me.

PAtientissime IESV. Felicior fuit Veronica præ filiabus Hierusalem, illa, mercede Sancti vultus tui retentâ, inter luctû lætior abijt. Filiæ Hierusalem lacrymas suas tibi offerunt, & duro responso admonentur; ita nè pro compassione minæ, Domine mitissime? Aliud iudicium DEI, à nostro, nouit ipse corda hominum. Ex muliebri affectu tantùm fletu excitato, non satis fit Saluatori, verus dolor & compũctio cordis requiritur, vt benigno quis responso à passo CHRISTO recreetur. Ruminanda sunt seriò horribilia verba Domini, & in viscera profundè immittenda:

Filiæ

Filiæ Hierusalem nolite flere super me sed super vos ipsos flete & super filios vestros. Forte voluit dicere: Ego fletu vestro non indigeo, & consolationes omnes respuo, sponte me in has submisi pœnas, ac passio mea breui in gloriam commodumque generis humani conuertetur: At vos fletum vestrum in vos ipsas vertite, quæ non recepistis doctrinam meam, respuistis admonitiones, Messiã verum non agnouistis, sicut & filij vestri, quos molliter educastis genimina viperarum, qui tam ingrati extiterunt, vt visis signis, miraculis, prophetijs, prodigijs, me loco gratitudinis ad mortem condemnarunt, & quod crudeliùs, vt meus sanguis caderet super illos, & filios eorum, publico clamore præoptarunt: Sequuntur postea vlteriora acerba verba Redemptoris: *Quoniam ecce venient dies in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt,*

Lucæ 23. v. 28.

Lucæ 23. v. 29.

& vbera

& vbera quæ nõ lactauerũt: Hoc fere voluit intelligi, Iam quidem bonos ducitis, optatis vobis prolem, vnde consolationes vestras quæratis, & genio indulgeatis, verum ecce prædico, quia veniet dies, dies vltima & amara, dies iræ, quando æterna damnatione vos cum filijs vestris coarctati, perpetuo planctu, & vlulatu stridoreq; dentium, infernum replebitis, ac in mutua odia & execrationes & rabiem conuertemini, maledicentes diei qua nati estis, optantes, vt nunquam fuissetis emissi ex vtero, sterilitatem fecunditati proferentes. Procedit vlterius Dominus in terribili sententia: *Tunc*
Ibid. v. 30. *dicent montibus, cadite super nos, & collibus operite nos:* Innuendo de vultu suo, quem nunc filij vestri & vos tot ludibrijs, & verberibus affecistis, in iudicio extremo faciei meæ & Maiestatis splendorem non feretis, & abscondi

cum

cum S. Iob velletis, nè aspicere possetis, inclamabitis montes & colles, vt cadant & operiant vos, non fiet hoc, iuxta opinionem D. Bernardi, potiùs continget, quod dicit: *In conspectu Iudicis æterni damnatis apparere erit intolerabile, latere impossibile.* Vel etiam per montes & colles Dominus vanitatem designat, & superbiam, quâ in vita Iudęi eleuabuntur, dolebunt post mortem, & vellent humiliari & non videri, nihil verò illis proficiet hæc inuocatio: ibunt in ignem æternum cum suis vanitatibus, & in centro terræ humiliabuntur. Concludit tandem plenis timore verbis. *Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet!* Id est: Si ego, inquit, qui florui in Diuinitate mea ab æterno, & in æternum florebo, & in innocentia mea, etiam homo cùm sim, floreo, tamen tot flagella, propter aliena peccata dorsum meũ Ibid. v. 31.

excepit, & adhuc ferreos clauos sustinebit, & ab ijs in cruce sustentabitur, quid vobiscum fiet cum iusto Dei decreto, tanquam arida ligna, quæ citò concipiunt ignem, proijcientur in gehennã, vbi experientur flammã nunquã extinguendam? Verè arida ligna, quæ nullum fructum, neq; ex virenti passione mea retulistis, neq; ex mandatis meis percepistis, ad nihilum ergò valetis, nisi vt proijciamini in flammeam æternitatem. Tu Anima mea, cum Veronica potiùs occurre CHRISTO, & vultum eius exterge linteo doloris, quàm vt simplici fletu ex timore seruili prouenienti, cum filiabus Hierusalem, Dominum prosequaris, virensq; bonis operibus, Crucem eius dulciter amplectendo, deprecare humiliter, ne cadant in te tam horrenda verba Saluatoris: sed vt sanguis pretiosus eius, pro te etiam effusus inueniatur.

CAPVT XXV.

MARIÆ luctus videntis à longè Filium Cruce grauatum.

PAtientissime IESV. Extra dubium est, Matrem tuam secutam esse & comitatam, tuam atrocem Crucis baiulationē. Sed quid causæ, quod illam insalutatam præterieras? Ad Veronicæ occursum nihil locutus, pignus faciei tamen impressum ei reliquisti: filiabus Hierusalem pro fletu (vt vel sic tantum resipiscerent) damnationem prædixisti: Matri tuæ dilectissimæ, nec Aue dixisti. Et quod magis, nemo Euangelistarum, ne quidem mentionem MARIAE præsentiæ & doloris calamo descripsit. Non casu factum, nec frustra: est & hoc ad augmentum Passionis vtriusq;, & Filij & Matris. Filius præ mœstitia, nec verbo, nec aspectu, languentem

animam exacerbare Genitricis suæ voluit. Mater vix præ guttis lacrymarum intueri sanguine velatam faciem Filij valuit, reciprocus dolor ita radijs compassionis vtrumq; cor affecit, vt vtriq; ori silentium imposuerit, nè locutione intrinsecum affectum commotum amborum aliquomodo mitigaret: nec in multiloquium descendit Mater, sciens verba eius quasi noua verbera Filio accedere posse: & vicissim aperire nouos & lacrymarum & sanguinis fontes. Intuere interno oculo Matrem, anima, quàm fœcunda fuerit afflictionis eius materia? Videre Cirenæum alienigenam, iuuare baiulando crucem Domini, & ipsam otiosam solo dolore occupatam stare? Sed quid? Fortè ipsa maius pondus addidit, iuuando spiritu laborem Filij prompta ad auxilium ferendum, alacris ad latera propria supponenda

da oneri dilecti, sanguinem extersisset melius Veronica, assueta à puero seruire nato, erexisset è terra depressum Cruce, amore Materno compulsa; Non permissum. Ergò & sibi, & Filio sarcina dolorum maior imposita, non posse ferre opem amanti, quanta pœna? Non posse iuuari ab amante non minor afflictio? CHRISTVS vtrumque nouit, & Matris desiderium, & propriæ voluntatis inclinationem. Clauserat sponte ianuam solatij, volensque proprium & Matris leuamen amouit, & Euangelistis obliuione silentium indixit. Quid ad hæc Mater! non ignorabat talem esse voluntatem Filij, viscera tamen materna acerbitate plena gerebat. Resignatio perfectæ obedientiæ erga DEVM, tolerabat tot ictus cordis amaros, coniunctio interim sanguinis, & visio effusi in Filio lacrymarum fluuios vberrimos, sub-

ministrabat. Admonitio etiam illa ad filias Hierusalem Saluatoris penetrauerat animam MARIÆ. Si enim cõseruabat anteà omnia verba Filij, quid iam idem & tunc non fecerat. Cognouerat copiosum sanguinem dilecti effusum, non omnium saluti profuturum, & quæ maior cogitari potuit interna angustia? O Anima mea, duplica affectum compassionis, & Matris & Filij, & perpende, quantâ amaritudine repletæ erant benedictæ illæ animæ? quanta pluuia sanguinis & guttarum, ex oculis & corporibus defluebat? Quot gemitus & singultus numero nascebantur? Hæccine Mater consolationis, versa in exemplum, & prototypon mœroris? Ita, Anima mea, factum tibi in exemplar, tu oculis internis admirare, & obstupesce tantum dolorem MARIAE: oculis externis iunge fletum fletui, riga genas squa-

lore, memoria reuolue innocentiſsimarum lacrymarum imbrē, quem Virgo & Mater emiſit, ſequens Filij tam ignominioſam proceſsionem. Baiulantem verò Crucem Dominum, demiſſo vultu, & conſperſo capite cinere compunctionis, ſupplex adora, petens, vt potiùs hîc ei iungaris dolore, conſiderando & ipſius infamem deductionem in montem Caluariæ, & tuæ futuræ Proceſsionis modū poſt obitum, quando exuta carne, ante Tribunal illud ſeuerum deduceris, adſiſtat tibi Mater tunc doloroſa, iam verò glorioſa, pro te ſuas preces interponendo ad Filium, vt potiùs concedat tibi hîc Crucem quamcunq; grauem immiſſam à DEO, ſuauiter tolerare, quàm illam æternam cum reprobatis portare; Roga, vt ille luctus MARIAE, quo Filio viſo à longè, debilitata fuerat, te confortet, contra omnes inſultus

ini-

inimicorum inuisibilium, & ad illa quibus iam fruitur gaudia, per merita & Filij passionis, & propriæ compassionis, deducere dignetur.

CAPVT XXVI.

Detractio vestium, sanguine cum carne CHRISTI conglutinatarum.

PAtientissime IESV. Superatâ viâ dolorosâ, & Monte ipso ad locum funestum, mortiq; destinatum perueniendo, deposita ex humeris tuis trabea Crux, vel potius vi detrusa, vnde nulla omnino secuta requies, sed ad maius cum inferno certamen descendisti: ita vt ascendendo montem altiorem, eminentioremq; locum, supplicia quoq; grauiora, & asperiora te comitarentur, prorsus gradatim tua passio augebat dolores, vt quò vicinior mor-

morti esses, eò maiora tormenta sacrosanctum tuum exciperet Corpus. Quid ergò? forte vestitus affigeris Cruci? Non, Adhuc crudelitas Iudæorum, exuet te & spoliabit tegumento. Sciebat insania Pharisaica, post tot vulnera inflicta adhæsisse vestem tuam membris tuis, & crucis pōdere magis ossibus coniunctam tunicam intrasse in plagas, ergo nouus dolor succedit, summo nisu detrahitur vestis, quæ totius corporis alteram induit veronicam. O Anima deuota CHRISTO, potes nè concipere cogitatione tantum Domini dolorem? Renouata sunt omnia iterum verbera, & cruor concretus, iterùm fluere, & rore rubeo, recrudescente conspergere membra cæpit: meditabatur idem David, dicens: *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt*; voluit quasi exponere in Persona CHRISTI; Tu Pater Psal. 68. v. 27.
me

me filium tuum percussisti, nihil enim mihi Iudæi facere poterant Tu ergo permissione percussisti in me scelera populi tui, at Iudæi persecuti sūt percussionē, & quidē talē, vt adderēt dolorē, supra dolorē, & in flagellatione, & in coronatione mea spinea, quid aliud nisi dolore me summo affecerant? Nunc vero adhuc, magno conatu detractā veste, & separatā, vi â conglutinatis membris meis, flagellationis & omnium vulnerum cicatrices iterùm duplicarunt, & antiquis nouos cruciatus addiderunt, & cum esset tunica inconsutilis, per caput deponebatur, ergo spineam coronam depositio mouit & cum motu ingentes renouauit per punćturas dolores. Et in alio Psalmo: *Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me*: Hoc forte designabatur: Nondum satiata corda Tygrina Iudæorum voluerunt adhuc videre iterum mea vulne-

Psal. 21. v. 19.

ra,

ra, magisq; insultare, & cum vindictæ triumpho considerare ac inspicere, & mera & insatiabili malitia, vestimenta autem mea cruenta in terram abiecerunt; Non Aliter Pater Cœlestis, vti Iacob visâ tunicâ Filij sui Ioseph agnouit illam dicens: *Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Gen. 37. v. 33. Quam ferã, & quam bestiam Pater Cœlestis appellauit? Inuidia Iudæorum fera pessima, non poterat tolerare veritatem, comedit ergò damnatione Crucis: Bestia verò non alia, quàm infernus, qui morte putarat deuorasse Charissimum Ioseph, sed sicut Iosepho nihil nocuit fraus fraterna; ita & Christo: Iudæi enim perierunt à Romanis. Infernus vlulat ad illa verba: *Vbi est mors victoria tua?* Quæres Anima, quare vestis detracta Christo, & cum dolore, nec ampliùs imposita? quia nudus Cruci appendi-

voluit: Quis ſcit, an non ideo, vt per veſtem, conſuetudinem peccandi notaret noſtram, difficulter à nobis auellitur, habitus contractus ſcelerum, quo tanquam veſtimento operimur, vnde in Pſalmo: *Operti ſunt ſicut diploide confuſione ſuâ.* Caro noſtra vanitatibus delectatur, & inuoluit ſe tanquam in aliquo pallio vel tegumēto, difficilè eſt relinquere conſuetudinē peccandi. Qui ergò Crucem CHRISTI ſequi deſiderat, oportet vt ſe exuat hac tunicâ, cum dolore quidem ſeparatur, at meliùs hîc parum pati, quàm æternis ſupplicijs in illa vita torqueri, nudus animus crucem facilè aſcendit, non habens vllum impedimentū, quod & D. Gregorius affirmat: *Malignos ſpiritus nihil in hoc mundo proprij poſsidere, nudos ergo cum nudis luctari oportet, nam ſi veſtitus quiſquā cum nudo luctatur, citiùs ad terram deijcitur, quia habet vnde teneatur.*

Greg. Hom. 33 in Euan.

Quid

Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abijciat, ne succũbat. Visâ ergò cruentâ veste Saluatoris, Anima, denuda te ab operibus carnalibus, precando Redemptorem, vt te induat nuptiali veste, mediante Passione suâ, nè excludaris à Cœna magna inuitatus, cœnâ inquam illâ, nec apparatu, nec tempore vnquam cessatura.

CAPVT XXVII.

Denudatio CHRISTI, & pudor coram populo.

PAtientissime IESV. Ita absq; veste nudus comparuisti coram omnibus, vel potius sanguine tectus, tu dicis apud Regem tuum conquerendo: *Sicut aqua diffusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea;* Quod inferiùs explica- Psal. 21. v. 14.

 tur:

Psal. 21. v. 19. tur: *Dinumerauerunt omnia ossa mea*? Non possum iudicium ferre Domine quid te magis afflixerit, an ingentes illæ pœnæ, an denudatum stare coram inimicis. De te

Psal. 146. v. 8. dictum antea: *Qui vestis Cælum nubibus*: & nunc tibi vestis deest hinc ad Patrem tuum illa vox

Psal. 68. v. 8 querula: *Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam*: Et agnouisse hoc Patrem tuum

Psal. 68. v. 20. profiteris dicens: *Tu scis improperium meum & confusionem meam*. Quæ maior confusio, Dominum Cœli & terræ spoliatum indumento comparere? A te, velamen virgines & alij in Martyrij duello acceperant, vt de sororibus S. Irenæ traditur, cum Iudex Dulcitius illas denudari mandasset, vestes corporibus eripi nulla vi potuêre, pugnante pro eis & mordicus retinēte togas pudore: Tibi vero Saluator tam facilè & contemptim omnia ablata, vt nudus remaneres?

res? Propriè dixiſti; *confuſio operuit faciem tuam*; tu enim ſcis quanto pudore afficiebaris, & quanto riſui aduerſariorum exponebaris? Pater vidit confuſionem tuam & commotus eſt: Anima mea & tu conſidera, quãtùm patiebatur verecundia in CHRISTO: ſi cauſam inueſtigare volueris, ex te & tuis peccatis origo. Ter Dominus denudatus eſt, in ipſa primò flagellatione, ſecundò ante Crucis baiulationem, nam coccinea veſte exutus, & propria indutus fuit, Tertiò ante affixionem in Cruce, in qua & nudus obijt. Non fruſtra hæc omnia, Peccatum luxuriæ Dominus denudatione eluere decreuit, quod in triplici differentia accidit, peccatur Cogitatione, verbo, opere. Cogitationes noſtræ, vanæ, turpes: immundæ flagellarunt Dominum, & quia variæ tentationes, concitant carnem, varijs etiam

instrumentis castigabatur Sanctissima caro, numerum enormium cogitationum quis assequeretur? nec facile poterant numerari plagæ CHRISTO inflictæ, ad multa millia ictuum excepisse credibile est, significando absque numero inhonestas nostras esse DEVM offendentes cogitationes: verba nostra quã profana & scandalosa? complacemus nobis vt obscænis locutionibus, & iocis abominandis tempus teramus, saluator pro verbis exutus totus, & flagellat⁹ Togâ illâ irrisoriâ, antequam vestiretur propria, ante baiulationem nudus fuit, ibi cachinni & ludus ex Domino: ibi scurrilia verba inimicorum audita: sic irriso & vestito crux imposita, væ nostris confabulationibus, quibus iterum denudamus CHRISTVM, & Crucem grandem sceleribus nostris imponimus ferendam? Tandem ante Crucifixionem

PAtientissime IESV. Nudus & prostratus in terram cum summa immanitate militum aptabaris ad Crucem, & fortè vna manus primò post aliam clauis perforabatur, trahebatur, ingentiq; percussione vulnerabatur, tum deindè secunda manus succedebat ad pœnas, & extendebatur cum dolore ac vulneris dilatatione alterius. Pedes idem sustinuerunt, vel vno clauo vterq; vel separatim ad lignum adacti; & si clauis aliquis aut debilitate fractus, aut torsione ad partem inutilis factus, statim extrahebatur, alterq; loco eius immittebatur, quanta tormenta tibi Domine hæc omnia inflixerant? Euangelistæ tam atrocem pœnam omiserunt, vel relinquentes considerationi mortalium, & deuotæ commiserationi, vel quod satis fuerit conquestum fuisse ipsum Dominum Patri, & nō cessasse aperire dolorem. Fe- Psal. 21. 19.

derunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, quasi diceret (supino corpore positus in terra, vt é diametro, obiecto cœlo visui, liberiùs alloqueretur Patrē) Ecce vides mi Pater, quanta ego patior pro humano genere eliberando à carcere peccati, vt tantum tuæ iustitiæ Diuinæ satis fiat, inaudita in me omnia tormenta Iudaica rabies exonerauit, nec satiati adhuc sūt, eò ad extremum deuentum, vt perforarent clauis, & manus & pedes meos, & ita quidem extenderunt in latum & longum corpus meum, vt facilè dinumerare possent ossa mea, ita fortiter separarunt manum à manu, pedem à pede clauis, vt quælibet ossium compago, & ex flagellis præteritis, & ex renouata distensione, ad oculum appareret. Quid ergo inferre voluit Dominus: forte vindictam optabat à Patre. Profitetur quidem ibi

nem tertio depoſito veſtimento denudatus eſt Saluator vt conſummationẽ peccatorum noſtrorum intelligamus. Quid enim aliud eſt, ad effectum perducere peruerſas cogitationes & verba, quam DEVM, vt hominem Cruci affigere? ne moreremur in actu tam nefando, Dominus nudus mortuus eſt, ita opere impletũ peccatum, crucifigit ad mortem nudum Redemptorem? Occurrat tibi, Anima, imago non tecti Saluatoris, & recordare, ſi te cogitatio mouet ad illicita, reflecte cor ad eius flagellationem hæc te moneat, & terreat, ſciens Dominum tuum propter te ſuſtinuiſſe & pudorem & dolorem; ſi tibi verba & ſermones inter ſodales arrident, recogita Dominum tuum ante veſtem reaſſumptam, & impoſitionem crucis, totum corpus apertum & nudũ oſtendiſſe, verecundiamq; ipſã in ruborem conuertiſſe; ſi tu ad

consummandum peccatum mortale, inferno instigante traheris, eleua oculos tuos ad denudatũ & mortuum in Cruce DEVM tuum, cohibe impetum, siste gradum, Claui amoris detinuerunt illum in ligno, & te claui eius doloris absterreant à peccato, vt mors ipsius vita tua sit, pudeat quidem te delictorum tuorum, sed non pudeat denudare in cõfessione: talis denudatio sola commendatur à cælo. In te ipsa, verecundiâ excitatâ defige vultum in dilectum tuum denudatum, procidens, & adorans, vt merito eius denudationis, pudorem & nuditatem æternam euadas.

CAPVT XXVIII.

CHRISTI in terra ad Crucem clauis cum dolore affixio.

ibidem se à Deo exauditum: *Nec* Psal.
auertit faciem suam à me, & cum cla- 21. v.
marem ad eum exaudiuit me : Et S. 26.
Paulus attestatur similiter. *Exau* eb.
ditus est (à Patre) pro sua reueren- v. 7.
tia : Nam misericordiâ motus DEVS Pater, videns tantum cumulum acerbitatum filij, non abnuebat, vt quod peteret obtineret, sed quid rogarit in cruce, audiemus inferiùs, & bonitatẽ eius mirabimur. Satis erat nunc manifestasse & ostendisse Patri clauis discerptam carnem suam, adeò, vt ad numerationem ossiũ feritas carnificum liberè accedere posset. Tu Anima, audi hanc querelam; tibi enim debetur deuotè aure cordis attendere ad tantum Domini cruciatum: voluptates, ad quas manus & pedes liberè relaxamus, expiabat Saluator, illam Euæ manus extensionem ad pomum, illos nostros impudicos tactus, illa manibus perpetrata homicidia, il-
las

las ipsas manus, quibus mortem sibi alij inferunt, illa furta, & ablationes, tum per vim ab egenis extorsiones peccuniarum, & redituum à subditis vsq; ad sãguinem, pro his omnibus tam enormibus delictis satisfaciebãt sacrosanctæ manus Christi, clauis ferreis in cruce distentæ. Idem de pedibus intelligendum, qui ad libidinem etiam cum molestia summa exornantur, tantùm vt laus fœminarum sequatur, Choreæ, & cursus lasciui, velocitas pedum ad effundendum sanguinem, tarditas autem ad bona opera, quæ quasi clauis acediæ impeditur, nè Deum honore vero gratitudinis afficiat, Hæc ergo erat offensio iustitiæ Diuinæ: idcirco debebant satisfacere pro prauis cursibus nostris, innocentissimi pedes Redemptoris, & consistere in ligno perforati diris clauis. Seriò contemplare Anima tantam Domi-

ni afflictionem in delicatis mẽbris eius, & in terram te proijciendo, osculare manus & pedes transfixos, rogando, ne propter grauia peccata manuum & pedum tuorum, ibi te cruciet iustitia Altissimi, vbi decretum irreuocabile fertur pro talibus offensis. Verùm ex infinita misericordia potius hic tibi non parcat. quam in altera vitâ. Tu ipsa infigas sponte cordi & corpori tuo dolorem, dicendo. *Castigans castigauit me Dominus. & morti non tradidit me, quia dextera Domini fecit virtutem*, & ob merita eius. Psal. 117. *Pes meus stetit in directo in Ecclesijs benedicàm te Domine*, & nunc quidem plorando, & in æternitate felici, tecum gaudendo. Psal. 25. v. 12.

CAPVT XXIX.

Eleuatio Crucis secuta & immisſio eius violenta in paratam foueam, vnde renouatio iterum CHRISTI *dolorum.*

PAtientiſsime IESV. Totus confixus clauis eleuatus es cum cruce in aërem, certè non molliter, vbi in animis furioſorum Militum & Iudæorum excubaret compaſsio, vt te cubantē in lecto crucis, ſuauiter attollerent nimis durè tecum actum, ſemper catenatim vna alteri ſuccesſit afflictio, ita, vt de acerbitate tibi inferenda mutuò certaret. Primò ergo fouea profunda facta eſt in terra, propter immiſsionem crucis: putarunt te Domine peccatorem & infernus & mundus, & tanquam condemnato in oculis tuis fodes

derunt foueam, hinc illud Regis lamentantis in persona tua: *Foderunt ante faciem meam foueam,* sed miseri: *inciderunt in eam:* verè inciderunt nunquam egressuri è fouea gehennæ & perpetuæ damnationis: at tu foueâ hac tuâ liberasti nos ab illorũ casu; Patres SS. eduxisti è fouea limbi: educis alios è fouea purgatorij: in hoc mũdo mortales educis è fouea peccati: ideo dictũ de te: *vt mitiges ei* (hoc est peccatori) *à diebus malis donec fodiatur peccatori fouea:* Antecedit casum gratia tua ibidem; *Beatus homo quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum*, & in eodem Psalmo *Nisi quia Dominus audiuit me, pauló minús habitasset in inferno anima mea:* Auxilium omne ex tua Passione: perforati sunt pedes tui, & manus & latus, & ipsa Crux perforauit terram; vt tot foramina & foueæ à voragine & abysso inferni gressus hominum eriperent.

Psal. 56. v. 7.

Psal. 93. v. 13.

Psal. 93. v. 12.

Ibid. v. 17.

aperto ore infernus in foramen
perpetuum omnes trahebat,
tuæ cruci præparata fouea, auer-
tit à tali præcipitio genus morta-
lium, imò cum cruce eleuati su-
mus omnes vt tu dixisti: *Et ego cũ*
Ioan. 12. v. 32. *exaltatus fuero, omnia ad me traham:*
Extraxisti è luto fecis & miseriæ
& attraxisti ad Paradisum volu-
ptatis & gratiæ, Sed caro hæc
tibi constitit eleuatio Redẽptor:
quantus enim tuus dolor fuit cũ
maximo impetu machina crucis
in foueam præparatam incidis-
set, credibile est vsurpasse te il-
Psal. 21. v. 15. lum versum Regis Prophetæ: *Si-
cut aqua effusus sum & dispersa sunt
omnia ossa mea:* Non aliter tecum
actum Patientissime Domine, san
guis tuus velut aqua ex omni-
bus membris exilijt, vt fons la-
tissimus, ex dilatatione & con-
quassatione membrorum erupit,
Non imposuisti silentium Pro-
phetæ, qui non reticet querelã
de hac fouea, præparata in per-
sona

sona tua. *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ?* Certe valde malum redditum est, pro summo bono, & summo bono. Verùm, quid est CHRISTE, quod fodiatur animæ tuæ fouea? Non ne corpori torquendo potius? Non frustra dicitur *animæ* exprimendo intrinsecos cruciatus animæ tuæ ob paucitatem saluandarum animarum, propter quas in foueam hanc demissus es. Anima mea misera, vide & considera illam violentam impulsionem Crucis in paratum foramen, quâ effectum, vt clauorum dilatatione maiorem apertionem & dolorem in pedibus & manibus concitaret fouea illa quatuor foueas, clauorum vsa instrumento dilatauit. Quid de capite sacrosancto dicemus? Omninò ad lignum Crucis valido motu impactum & spinarum aculeos adegit ad acerbiorem puncturam, & vt in ce-

Iere. 18. v. 20.

re-

rebrum vlterius ingrederentur, impulit. Epitome & congregatio pasſionum inde renouata. Verè reddiderunt tunc Iudæi malum pro bono.& nos idem reddimus, dũ nihil tantos toleratos Dñi dolores æſtimamus, & peccatis vel iiſdem,vel nouis foueã illã refodimus Redemptori, aut nos potiùs in barhatrum ſcelerũ ruimus, at foueã illã mœſtã & æternam miſeri properantes. Tibi conſulo Anima, immitte te vitæ tuæ tempore in foueam cõtemplationis, ruminando anguſtias Corporis & Animæ Domini, vt in illam Cœleſtem altitudinem eueharis: cogita frequenter de fouea ſepulchri corporis tui, quâ relictâ ad tempus reſurrectionis, & coniunctionis carnis tecum, roga, vt te excipiat dextera ſaluatoris, atq; extrahat ab inferni,& purgatorij pœnis, atq; inter eos collocet, quos merito dolorum ſuorum Patri æterno mercatus eſt.

CAPVT XXX.

Diuisio vestimentorum Christi.

PAtientissime Iesv. Seuire in sacrosanctum corpus tuum, non poterant amplius milites & Iudæi, euasisti manus eorum in patibulum crucis elatus, vbi nihilominus continuabas dolores, ne interim malitia otio vacaret, eandem in vestes derelictas carnificinam exercuerunt, & quidē duplici modo; vnam in quatuor partes diuiserunt, & sibi retinuerunt, super aliam miserunt sortes: Ipsi quidem ob lucrum & sorte odium id fecerunt, tamen mysterium ignari ostenderant, sicut & in Iacob supplantatore primogeniti Esau factum, figura erat vestimentorum Christi, Inconsutilis tunica Christi, quid est aliud nisi vnitas Ecclesiæ? Ideò Saluator apparens S. Petro

Alexandrino, conquestus de Ario, qui sibi Tunicam dilacerauerat, id est Ecclesiæ vnitatem sciderat. & nunc quot sunt qui idem agunt? Nostrum sæculum infelix, quot protulit vestis CHRISTI dilaceratores? Istis bellis quid fit aliud, nisi diuiditur Ecclesia, & in qua antea laudes Diuinæ decantabantur, iam noui Pseudoprophetæ mordent, & inuertunt doctrinam veram, & Nomen Altissimi blasphematur? sed quia inconsutilis Tunica, nũquam potuit discerpi ab operarijs iniquitatis, permanet & permanebit in grege suo catholico, contra quem Portæ inferi non prẹualebunt, donec erit vnum ouile & vnus Pastor. Alia autem vestis Domini rectè scinditur, in quatuor partes, & militibus cædit. Quid est vita hominis super terram nisi militia? *Regnum cælorum vim patitur, violenti rapiunt,* & illi super quos cadit bona sors
Mat. 11. v. 12.
præ-

prædestinationis ; Verbum & Euangelium Christi in quatuor scriptores diuisum, Idem in quatuor mundi plagis disseminatum Europa, Asia, Africa â multis añis impletæ sunt doctrina Christi. Per Quartam etiam Americã dilatatur Religio Domini sancta, & pars eius vestis operit illos gratia sua, prædicationeq; Euangelij expellitur iugum Diaboli, sub quo hactenus gemebãt. Denotabat quoq; dissectio vestis, vel potius præsagiebat certitudinem quatuor locorum, ex quibus passio Christi coniunxit in cœlum diuisos electos, Ex hoc mundo, ex limbo, ex Paradiso, ex purgatorio. Ex hoc mundo qui adhuc viuebant, & quos viuere sciebat bonis operibus in Ecclesia militante, Ex limbo Patres qui multis annis expectabãt particulam vestis innocentiæ accipere adiuuante Passione Ex Paradiso Enoch & Elias, qui præsto-

stolantur aduentum Antichristi, vt sanguine, in fine mundi defẽsâ veritate Euangelij effuso, veste immortalitatis ornati recipiantur in gremium Sanctorum. Ex purgatorio, vt renouatione quotidie memoriæ Passionis per tremendum sacrificium liberarentur, quamplurimæ à pœnis animæ. Mirabilis ludus fit ex vestimentis Christi, sortes mittuntur de tam pretioso thesauro, neq; tamen illæ ipsæ sortes carent mysterio. Est ibi vnitas numeri & in cœlo vnus est Devs, duplex numerus, duplicem naturæ coniunctionem in Christo significat: Ternus, Trinitatis figuram designat. Quartus numerus, nouissima totidem indicat: Quinarius, vulnera in cruce quinq; Christi exprimit: Sextus, recogitationem sex dierum creationis in memoriam introducit, si sortes duplicentur, & ibi inuenies Anima meditatione

solatium: Duplex numerus, nouum & vetus testamentum esse proponit: Duplicatus quatuor angulos Crucis CHRISTI fuisse demonstrat: Bis ter repetendo, sex hydrias ex aqua in vinum cõuersas esse primo miraculo colligitur: Quaternus duplicatus, octo beatitudines necessarias ad salutem prædicat: Quinarius item duplicatus, Decem præcepta seruanda ante oculos statuit Bis sex numerando, Duodecim Apostolos principes fidei nostræ à Domino electos testamur. Ergo anima occupa te circa ignominiam vestis cum fructu tuo, Eph. 4. v. 22. *vt exuens veterem hominem induas nouum secundum* DEVM; & cum sis nu- Ibid. v. 24. da & inops, cooperias te veste Saluatoris, rogando, vt cum sors de te in agone mittetur, exclames læta in separatione à corpore, conuerte Saluator planctum meum in gaudium mihi, conscindas saccum miserum corporis

ris mei, & circumdes me vesti-
mento gloriæ tuæ.

CAPVT XXXI.

Irrisio CHRISTI à Iudæis dum in Cruce penderet.

PAtientissime IESV, Constitutus in Throno redemptionis per Crucem á constitutione mūdi designato, iustitia Paterna sic iubente & volente, acerbitate dolorum plenus iacebas in lecto salutis, cum & caput à tergo ligno premeretur spineam Coronam magis magisq; cerebro imprimendo, Et si pœna manuum mederi dolori cupiebat, Pedes eo maiori cruciatu pondus sustinendo corporis affligebantur, & è contra, si pedes fatigati dolore, requiescere desiderabant, in manus eleuatas redundabat sensus & passionis & ponderis. Inter luctum & fluctum

ctum alternantium afflictionum, quæ tuà vel minima fuerat conſolatio Domine? Non poſſum magis verbis id exprimere meis, melius faciam ſi tuis per Regem pœnitentem allatis vtar; *In conſpectu meo ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum & miſeriam & ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur & non fuit & qui conſolaretur & non inueni*: Deteſtandæ circumſtantiæ & paſsionis & circumſtantiū feritatis? & alibi per eundem Regem: *Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs & mouerunt caput, ſperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum: quoniam vult eum*: & iterum in alio loco: *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt, locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabā, & poſuerunt aduerſū me mala pro bonis, & odiū pro dilectione*

Pſal. 68. v. 31.

Pſal. 21. v. 7. & 8.

Pſal. 108. v. 2.

mea: Ecce deſcriptio Patetica o-
dij Iudæorum quo ardebant con
tra te CHRISTE. Aſpexiſti &
circumtuliſti benedictos oculos
tuos, an eſſet qui in diro ſuppli-
cio tui miſèreretur & leniret cō-
paſsione mærorem. Cor tuum
expectabat ſolatium, quæſiuiſti
& non reperiſti conſolatorem,
ante mortem non eſt inuentus
cuius viſcera commouerentur,
videndo innocentiam plus pati
quam nocentes. Deriſerunt te,
locuti ſunt iniqua, addendo vul
neribus plagarum vulnera labio
rum, mouerunt capita ſua ſub-
Mat. ſanando & dicendo vah. *Qui*
27. v. *deſtruis Templum Dei*: verum ipſi
40. potius templum Spiritus Sanct.
& Mat. deſtruxeruntSacratiſsimum cor-
15. v. pus tuum in cruce dilaniatum
29. extendendo, deſperare te forte
iubent, cum ſpem tuam vanam
reputant, & DEO ſolo tuam
committunt ſalutem. In hoc ve-
rè; quia Pater tuus ſalutem ât
tuli

lit corpori tuo, die tertia à morte incorruptibile & impassibile resuscitando. Præuidit vlterius Dauid laudando tuam virtutem in passione, neq; tu tacere permittis Patrem tuum, multò magis nos redemptos sanguine tuo, vt exemplo tuo omnes incitentur ad laudes tibi decantandas, tu enim tanquam summus Doctor in Cathedra crucis, prædicasti cumulum virtutum, & ad imitationem inuitasti, vt os loquentium iniqua obstruatur: Psal.
quia in patibulo crucis existen- 108.
ti, os peccatoris, & os dolosi v. 2.
super te apertum fuit, quæ verò differentia inter ista ora, & qui peccatores & qui dolosi? forte Dominus omnes quicunq; ad suam necem innocentem, consenserunt, peccatores intellexit, at in duplici genere, alij vt Iudex Pilatus & milites, lictores, executoresq; decreti, verè peccatores, tantum absq; dolo pu-

tantes aliquo modo iustè à Iu-
dæis accusatum, ideo vt nocen-
tem affligebant & tormentis ma
cerabant: Alij vt Iudæi & pec-
catores & dolosi, nam & affige-
bant & instigabant contra Chri-
stum. Non ne dolum ipsorum
agnouit S. Augustinus, dum lin-
guâ occidisse eos saluatorē inso-
lubili conuicit argumento, gla-
Mar dio enim linguæ percusserunt
15 v. clamando: *Crucifige crucifige*:
13. & Non ne dolus ad oculum Pha-
Luc. risæorum apparuit, cum dixis-
23. v. sent? *Nobis non licet interficere*
21. & *quenquam*, aliud in ore aliud in
Ioan. 19. v. corde coquebant? Non ne do-
6. lus, *Si Rex Israel est, descendat nunc*
Ioan 18. v. *de cruce, & credimus ei*? Maiora mi-
31. racula viderunt, & non credide-
Mat. runt, neq; descensus illos ad fi-
27 v. dem perduci fecisset, dolus tan-
43. tum fuit. ideo additur: *Circum-
dederunt me sermonibus odij vndiq;*.
Circa Crucem verba dolosa, &
acerba illusoriaq; euouebant;

Debe-

Debebant diligere Redemptorem pro tantis acceptis beneficijs, & ipsi modo contrario detrahebant & insultabant. Quid interim tu Domine dixisti: *Ego autem orabam:* Oratio tua exponetur capite sequenti, Tu interim Anima expansis manibus ad Crucis similitudinem, Redemptorem tuum lacrymis exora, vt suâ cruce à cruciatu æterno te liberet, & irrisiones Diabolicas in vita ac morte superare tibi concedat. Psal. 108. v. 4.

CAPVT XXXII.

Primum verbum CHRISTI *pro persecutoribus in Cruce prolatum.*

PAtientissime IESV. In tanto contra te Iudæorum fremitu, expectabatur aliquod verbum à te proferendum: multi id

id ipsum auidè desiderabant, Mater tua inprimis, quæ & corde & corpore auelli à te non poterat. stabat miraculosè sustentata gratiâ tuâ, & consolationis verbum præstolabatur, sciens te nosse omnia secreta cordis, te esse Patrē cōsolationis, te esse DEVM qui præuenis benedictionibus & reples dulcedine viscera afflictorum, si enim omnia expectant à te escam corporalem vt des illis in tempore opportuno, idipsum Mater tua exoptabat, vt Pane & potu quod est verbum tuum reficeres, fame & siti spirituali deficientem ipsius animam, erigebat aures, attollebat oculos, vt commiserationis affectum in eam inflecteres, & compassionis sociam verbali vel sociares mærore, vel solareris lenitate, Dilata à te dulcissima Mater talis gratia, sunt, qui te præcedunt, & extorquent verbum ex ore crucifixi, si diuinare

permitteres, nescio an assequi posses intentum; Si enim conseruasti hactenus (Domina) omnia verba filij tui in corde tuo hoc quod proferetur, oportet vt in separato conclaui cordis tui diligenter abscondas. Thesaurus est ingens gemma preciosa, raritas in terra nunquam visa: Putabant aliqui Dominum nullum miraculum in cruce fecisse, ego cum Bellar: iudicio, maxima & inaudita perpetrasse præcipuè in septem illis verbis: Ecce in hoc primo verbo quid mirabilius ostendi potuit, quàm vt eò tempore, eo momento, quo totus in doloribus positus circum circa sermonibus acutis laceratus, oblitus omnium & matris suæ dilectissimæ pro persecutoribus orauerit. Orationis eius si quis circumstantias accurate comprehendere vellet, emphasim considerando, Angelico non humano intellectu assequi

Luc 23. v. 34. vix posset: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*: Deprecatio tua nunquam Patri displicuit, semper accepta fuit, sed multo gratior iam è cruce. Ira enim Patris qua propter scelera nostra contra humanum genus efferbuerat, placata est passione tua, tuæ vero Passionis, compendium & finis cruci affixio. Videbat Pater iustitiæ suæ satis factum, succesfit ergo misericordia, & quæ hactenus aures occluserat, nec in conspectum admiserat vllius hominis vocem, surdis auribus pulsati erant Cœli facti Aenei, Paradisi accessus post expulsos Parentes nostros gladio arcebatur, clamor Patrum in limbo licet attollerent voces suas, non penetrabat cœlos, siccitas peccatorum dominatur in mundo, pluuia gratiæ Diuinæ nunquam in terram dimissa. Tandē penetrauit vox dilecti, remouit omnia obstacula & impedimenta,

ta, auditum verbum, quod ad ipsa misericordiæ viscera peruenit DEI, & cœlum aperuit, & ideo non DEVM vocat, non alio titulo compellat CHRISTVS in Cruce, sed Patris nomine vtitur *Pater dimitte*, Paternum ergo reserat affectum, voluit quodammodo dicere Dominus: Ego sum filius ab æterno consubstantialis tibi, verum & nunc sum filius vt homo obedientiæ & patientiæ excellens virtute, has è cœlo mecum attuli, quæ ignotæ erant hactenus in terra, itaq; exaudi me, & vt DEVM & vt hominem: vt DEVS, satisfeci tibi paritate substantiæ, vt homo, patientiæ & obedientiæ vsq; ad mortem merito, decreto me Pilati iniustissimo submittendo, vt DEVS, iustitiam implendo, vt Homo, misericordiam aperiendo, vt DEVS abolendo peccatum, vt homo, pœnam eius exoluendo, Hac ergo de causa igno-

ſci poſtulat à Patre, vt ipſe recen-tes plagas & vulnera conſide-rando filij benigno vultu, pa-terno, concederet veniam, & ne excuſatio deeſſet, adiungit. *Non enim ſciunt quid faciunt*: Par-
Ibid. v. 20. cas mihi Domine, ſciunt quid faciunt, ſciunt te eſſe innocen-tem, ſciunt te ex ſcripturis & te-ſtimonijs Prophetarum verum Meſsiam eſſe, ſciunt te nulli ma-lum, multis bona feciſſe, & ta-men in mortem omnes conſpi-rarunt, & tu dicis. *Neſciunt quid faciunt*: O verè miraculorum ſu-premum miraculum! Impetra-ſti Christe quod voluiſti, igno-rantia à te excuſata: alijs, ſta-tim à morte, cum reuerterentur percutientes pectora ſua, alijs, lōgiori tempore, alijs in ſenectu-te, alijs & electis omnibus ad conſumationem ſæculi ſubue-niſti, vt pœnitentia abluti, licet mille ſceleribus fuerint polluti, neſciant quid faciant: Obtinui-
ſti

sti enim omnibus indulgentiam. Et tu anima, imitare Redemptorem, & si quid in te frater tuus peccauerit, statim non differendo, ei dimittas quemadmodum Saluator tuus fecit: quatenus in iudicio extremo tibi vicissim dimittantur offensæ tuæ, & filius alloquatur Patrem, Pater dimitte illi quia nescit quid fecit.

CAPVT XXXIII.

Secundum verbum CHRISTI ad latronem emissum.

PAtientissime IESV, Succedetne Mater post inimicos pro quibus Patrem deprecatus es, & veniam impetrasti, vt eam etiam gementem & dolentem alloquaris? Ostendit tacens vbera Materna, suspiria, & aciem luminum dirigit ad te, sustinens cruciatus internos? frustratur adhuc spe, & differtur colloquium

quium. ob maiorem acerbitatem, ad augmentum meritorum? latronem priùs saluandum suscepisti. Et licet omnes redimere decreueris, tamen ex inscrutabili sapientia id conclusum, vt non pro omnibus (quod ad efficatiam & applicationem) verùm pro multis, copiosus tuus effunderetur sanguis. Semper Domine consueueras aliquos amare, aliquos reprobare, vt in Esau & Iacob factum, nunc idem contigit, Duos latrones pœnæ non culpæ (vt innocens) socios habuisti, vnus consecutus gratiam, alter reiectus & eiectus è numero Candidatorum Cœlestium; Quia tamen passim nos mortales opponimus in subsidium facinorum nostrorum (eleuantes Domini misericordiam) exemplum huius latronis, possent ne dari causæ, cur vno fere temporis puncto fontem gratiæ & gloriæ adeptus hic? Liceat mi

CHRI

Christe intellectui meo debili aliquot enumerare rationes ob quas iste ex malo latrone in b..., num est transformatus. Prima inter tot circumstantes, nemo tuus inuentus causidicus & defensor, nisi solus latro iste, innocentiam tuam publice defendit dicens: *hic nihil mali fecit*: Omnes ad plagas, ad vulnera, ad Crucem te Domine condemnarunt, latro verò absoluit te, & liberum à culpa & pœna publico pronunciauit præconio. Secunda, suam culpam & pœnam debitam socijq; latronis agnouit, fasus enim est, se esse nocentem & promeritum crucem illis verbis: *Et nos quidem iuste*, (id est patimur) *nam digna factis recipimus*: Accomodatam suæ culpæ pœnam non diffitetur, in quo vis contritionis consisti, initium autem pœnitentiæ, notitia est & confessio peccati. Tertia, corripit socium & ad viam reducere

Luc. 13 v. 41.

Ibid.

Ibid. re nititur salutis. *Neq; tu times*
v.40 *Deum qui in eadem damnatione es?*
quasi diceret, propter scelera no-
stra cōdemnati sumus iustissimè,
tu ergo timeas DEVM, & noli im-
properare nobis cum affixo Cru-
ci: resipiscere incipe, excita in
te timorem DEI. quem ad latus
vel in medio nostri habemus.
Quarta, agnouit in cruce nudum
moribundum, ab omnibus de-
spectum, DEVM esse, vidit sub
tam conciso corpore & lacero
aperte latere Deitatem: O ma-
gna fides & ingens gratia! Quin-
ta, Fiduciam habuit efficacem
Ibid. in te Domine dicendo: *Memento*
v.42. *mei*; hoc innuit: Tu cum si
DEVS, non potes obliuisci & rei
cere, qui ad te confugiunt. Ego
peccator & latro non sum di-
gnus aspectu tuo, suscipe me ta-
men, & noli deesse mihi, in su
angustijs mortis memento me.
Ibid. Sexta, Regem esse te palam edi-
v.43. xit, proferendo: *Cum veneris.*

Regnum tuum: de Regno quis ei perſuaſerat? videbat quidem ſcriptum, in titulo te eſſe Regem Iudæorum, non hoc terreſtre interpretatus eſt, cœleſte potiùs adoratus, firmiter credidit, & te è patibulo transferre debere ſedem in cœlum & ipſum ſecum eò deducere. Septima, Deſiderium ſequendi te Saluator latro non celauit, rogauit vt ſimul tecum iret & te comitaretur, oblitus dolorum ſuorum, non aliud in ore & corde habuit, quàm vt eò citius tibi adhæreret, vitam poſt mortem, regnum poſt Crucem, viam poſt affixionem certò ſperando, ideo antelatus Matri meruit iucundam vocem tuam audire: *Amen Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*: Non ſimpliciter, verùm addito iuramento, certitudinem Paradiſi illi promiſiſti, deſiderium impleſti manendi tecum, nec diſtuliſti ipſius ſitim tecum conuiuendi: Luc. 23. v. 42.

dicens. *Hodie*: ideſt breui ſatiaberis torrente voluptatis poſt dolores toleratos. Et quia de Regno meo credidiſti, fiduciâ non fruſtraberis, quia *Mecum eris in Paradiſo*: DEVM me agnouiſti, ego te non decipiam, nam quod promitto, iuramento me obſtringo, addendo, *Amen*: id te habiturũ quod deſideras: Defendiſti me à ſocio mihi illudenti, & ego tibi præparabo Coronam Paradiſi, quâ caput tuum exornabo; Innocentem me declaraſti, & te nocentem eſſe prodidiſti; & ego ex latrone Sanctum te faciam, remiſsiſq; tuis peccatis, mecum in gloriam introducam ſempiternam. O felix latro, vnus talis, quia ſemel Dominus in cruce pependit. Ergo Anima admirare talem latronem, neq; tamen diſferas ad vltimum vitæ pœnitentiam, rarũ hoc imo vnum exemplũ extat potiùs ſuppliciter venerare Saluatorem, vt tempeſtiuè
per

per contritionem placatus, dicat etiam tibi, *mecum eris in Paradiso*, licet non hodie nec statim, exsoluendo & hic, & in purgatorio pœnam iustè infligendam.

CAPVT XXXIV.

Tertium verbum ad Matrem & Ioannem à CHRISTO *pronuntiatum.*

PAtientissime IESV. Tandem postquam Latronem tua Passione lucratus es, Matrem & Discipulum stantē non dedignatus es alloqui, instruens nos pro carnalibus, cœlestia potiùs curare, salutis propriæ & alienæ magis rationem habere, quàm propinquorum, bonorū fortunæ, ipsorumq; Parentum. Nos verò contrarium agimus: toti rebus caducis, & assiduè inuigilamus, ad consequendam vitam perpetuā vix aliquando aspiramus. Sed

Domine qualia tua ad Matrem
Ioan. 19. v. 27. verba? *Mulier ecce Filius tuus*:
Nescio an non maioris afflictionis ignem in corde promouerint, quam refrigerij vento leniuerint commota viscera materna? Nonne Mater hæc tua? Nonne amore cæteris maiore, omnibus alijs dilapsis perseuerat sub cruce? nonne vberibus maternis vt antea pascebat te, iam brachijs sustentare & detergere sanguinem cuperet? nonne commori tibi vitæ pretio, præferret? nonne euolare in àëra vellet, vt cruci tuæ simul configeretur? Et tu non Matrem, sed mulierem vocas? Non caret mysterio. Quando in mundo conuersabaris, eras subditus Matri, & ita eā appellabas: iam ex hoc mundo ad Patrem iturus, & iterum sedem tuam diuinam reassumpturus, Matrem vocare noluisti quam orbam relinquebas. Deum Patrem in primo verbo no-

nominando, ad terrena deſcendere noluiſti, vitamq; hanc finiendo, & Matris & filij nomen, vt ceſſaret, decreuiſti: non ergo addendo mœrorem Matri tali verbo allocutus es. At forte aliquot de cauſis id factum. Prima ſit, vt te Deum verum in cruce declarares, qui aliter ab æterno genitus & ſine matre, & licet crucis atrocitate viſâ oculi carnei vix te hominem eſſe iudicarent, vt de te Propheta: *Ego autem vermis ſum & non homo:* Pſal. 21. tamen in oculis DEI Patris verè x. 7. eius te Filium eſſe non celabas, maximèq; tempore Paſsionis abſconditus à cognitione mortalium, DEO Patri te Filium manifeſtaſti, vt citiùs obtineres decreti contra nos lati abolitionē. Secunda, verum dolorem agnoſcebas in Matre, quæ ſe mulierē derelictam plangebat, idem & tu affirmabas, quod eius cor mollire debebat, cùm videret

gratam accidere tibi ipsius compassionem, quæ dilecto placere omnibus rebus anteponebat. Tertia, vt esset distinctio & interstitium inter filiationem tuam & Ioannis, sicut enim per Angelum Gabrielem instinctu Spiritûs Sancti Mater tua renuntiata est, & proclamata, sic tuo ore in cruce Apostolus dilectus Matre tua cohonestatus est. Quarta, vt in eo ipso Matrem consolareris in quo maior eminebat dolor: De amisso filio lugebat, & se quasi non esse Matrem sentiebat. Itaq; tu Domine appellatione mulieris, loco tui, alterum filium concessisti (&, si dicere ausim) tuo iuri renuntiasti. Ad Ioannem conuersus reciprocè &
Ioan. 16. v. 28. in matrem suam, tradidisti: *Ecce Mater tua*: Pro vno verbo interpretatur Ecclesia, & ad Matrem & ad Ioannem tua prolocutio & verè hic, Castitati vnio debebatur, Matrem cum Filio vno verbo

bo coniungi decebat. Certè Ioannes præmiũ ingens tulit perſeuerantiæ, Quid enim nobilius ei contingere poterat, quam Dei Matris filium ab ipſo Deo in ſuggeſtu Redemptionis proclamari? quam fratrem Dei publicari? Ita eſt Anima, ſub Cruce ſtare & de paſsione Christi participare, eius meriti eſt, vt Filij eiuſdem Matris vocẽtur à Domino, & in terris hic, nam in cœlo filij Dei vocabantur. In Matre ſua Saluator Eccleſiam deſignabat, in Ioanne nos, in vera Catholica religione exiſtentes, figurabat. Quid ni? In Ioanne nos omnes Matri ſuæ commendauit. Recepit itaq; eam Diſcipulus in ſua, fouebat, nutriebat, colebat, vt Matrem. Exemplum ſequaris Anima, in corde tuo habitet dilecta Maria, vera Mater noſtra, ſemper adhæreat præcordijs tuis, reficias te memoriâ eius, vt recreeris delectabiliter; profi-
cias

cias de virtute in virtutem, vt conſoleris vtiliter, in curſu peregrinationis tuæ: aſsiduè eam inuoca, vt conſummes feliciter; Quando cogitas de cruce cum dolore, realiter adſtas Matri & Ioanni, Quid iucundiùs, quàm talibus ſociari? & quidem, cogitatione nunc, erit quando poteris deduci ad locum habitationis cœleſtis, vt & mente te recipiat in ſua: iam Filium, iam Matrem foueas in corde tuo: tua hæc eſt terrena reſidentia: transfereris propterea in perpetuam Dei hęreditatem, vbi manſiones multæ ſunt, & pro te ex infinita eius miſericordia, non deerit ſedes; quod procidens coneris impetrare.

CAPVT XXXV.

Ante quartum verbum CHRISTI *tenebræ.*

Pa-

PAtientiſsime Iesv. Non decebat aliter, ſub tempus mortis tuæ cum terra hominem factum Devm non lugeret, neceſſe fuit, vt ſquallida vmbra, cœlum, tantum facinus deploraret, hominem eſſe te putauit tellus, & illum quidem craſsiſsimo errore, non bonum, quia damnauit, quantæ tenebræ? Sciebat populus Hæbræus Meſsiam venturum, ſigna quæ D. Ioanne Baptiſta digito monſtrante erat facturus, non ignorabat, imo eundem clamantem audiebat: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi:* Per eos Prophetæ, vt è tenebris illis corda eorum emergerent, lectioni propoſitum: *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*: via pacis pro te Domine calcata & rubicundo ſanguine notata. Alius item ex Prophetis inuitat Hieruſalem,

Ioan. 1. v. 29.

Ioan. 1. v. 79.

vt

Isaiæ. 60. v. 1. vt surgat è tenebris: *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, quia Ecce tenebræ operient terram & caligo populos*: Lumen fuit non aliud nisi CHRISTVS, Tenebræ hæ, quæ in Passione obscurarunt terram: & tamen nihil profuerunt omnes similes admonitiones: noluit Nominatus Populus Hebræus credere obturante malitiâ aures: noluit peiori ignorantia, quia minus viderunt & intellexerunt quam Pagani. Sanctus Dionysius in errore Ethnico existens, videns has in Monte Domini tenebras, erupit

S. Di. Areo. in illam vocem: *Aut Deus naturæ patitur, aut Machina Mundi dissoluetur.* Et Iudæi adstantes prope & intuentes hæc omnia, nihil commoti in tenebris incredulitatis perseuerantes, persuadente Inferno, delitescebant. Qando ergo non dolebat tellus ob mortem Filij Dei, cælum induit

duit lugubre Pallium: Sol & Luna, contra curſum conſuetum & motum cæleſtem, tenebras aſſumpſerunt, vt vel ſic erudirent ignorantem mundum, & quale facinus in Deum commiſerint, docerent. Sol, Deum eſſe qui patitur, agnouit, cum lucem ab ipſo creatam abſcondit: indignum ratus lucere tum, cum Creator Lucis, & humanitate & mortalitate obſcurabatur. Luna, mutuatum Lumen non recepit à ſole, cum humanam Naturam à Deo aſſumptam in tormentis ſummis pendere vidit, vel potius videre noluit. Sol CHRISTVM deſignauit, qui hactenus prædicatione, conuerſione, ſanatione, ad vitam æternam inſtructione prælucebat, nunc elinguis pæne factus indecēter moriebatur, & ſol operari luminè ſuo deſijt, tenebriſq; ſuis tacentem ſequebatur. Luna Matrem adſtantem repræſentauit, quæ

antea illustrata, conuersatione dilecti filij, plena gratiâ erat, iam quasi repulsa & alteri tradita, desolationis illius miseriā plangebat, nouiluniumq; Maternitatis atro lugebat colore. Tu Dñe vt verus sol & increatus, valedicebas cum angustia animi terrę, Creatus Sol oblitus proprij luminis, quasi relinquebat terram. Tu vera Luna, Mater Dei, non consolationes, sed acerbitates participando à tuo sole, defecisti languida & obscura, in luctu noui doloris mansisti. Qualis tua Christe lucta erat cum morte? cum fere tribus horis nihil admittendo solatij, vt plus patereris, noctem è die fieri permisisti: vtq; augmentum succederet dolorum, diem in noctem vertisti: Cur tamen trium horarum spatio lumen subtractum, forte sæculorum spatia, quæ tenebris infidelitatis totum orbem cooperuerant, designata sunt. In

Le

Lege naturæ, vix in arca reperisti aliquot qui euaserunt diluuij pœnas. Enoch transportatur, Iob ab ipso Deo commendatus rarum lumen fidei in orbe; In lege Mosaica quàm pauci illuminati? vix ipse DEVS inuenit, sex millia in tanto mortaliũ numero & gloriatus est de tot seruis, *qui non curuauerũt genu ante Baal*, licet 3.
Elias non putauerit tam magnũ Reg.
numerum. In deserto non mul 19.
ti credentes; ex Exploratoribus 18.
terram Sanctã duo tantum splendentes fide inuenti; ipsemet Moyses defecit in fide, cum de petra, educere posse aquas DEVM hæsitasset, D. Ioannes; in Apocal; centum quadraginta millia Iudæorum tantum lumine æterno condecorandos præsciuit. In lege gratiæ, maius quidem lumen ab initio, sed & tenebræ repertæ, iubebat afferri & narrabat
allatum lumen Simeon cantan- Luce
do, *Lumen ad reuelationem gentium;* 2. v. 32.

verum etiam addiderat: *positum in ruinam & resurrectionem*, illud Lumen. Ecce iam, Domine, cum tuo Patre cœlesti calculum inibas, ponendo ante oculos tuos electos, & vicissim tot sectas diuersas, & improbos Catholicos, quibus mors tua in ruinam, & quibus in resurrectionem foret. O Anima mea gemens & tristis, in tenebris ex habitu peccatorum contracto sedens, surge & illuminare, quia venit lumen tuum Saluator, & passus est. Roga ergo, vt ante decursum vitæ in tenebris pœnitentiæ, emundando delicta tua, possis in limine alterius vitæ, cœlesti lumine Maiestatis absconditæ Diuinæ in æternum illuminari.

CAPVT XXXVI.

Quartum verbum à CHRISTO in cruce prolatum.

PAtientissime IESV. In summo gradu patientiam declarasti, & os loquentium iniqua obstruxisti, cùm diceres: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* verùm vt apes ex herbis odore grato fragrantibus suauissimum mel colligunt, sic araneæ ex ijsdem venenum conficiunt, non aliter ex tuo sacratissimo verbo factum, inuenti peruersi, qui non erubuerunt blasphemiæ virus euomere, & te in desperationis (quod horret & mens cogitare, & calamus scribere) foueam incidisse. Apage infausta aranea Caluine, mel dulcissimum exprimere tu Anima potes, consideratione locutionis Domini: Optimè agnouit D. Paulus, dum suâ sententiâ prædicationem Crucifixi fore, *Iudæis scandalum, gentibus stultitiam,* prædixit. Et nostro æuo sectis varijs, nonnè scandalum oritur,

Matt. 25. v. 34.

nonne ſtultitia ? Quidam affirmabant, non Saluatorem paſſũ ſed Phantaſma; alij vtramq; naturam & Diuinam & humanam paſsioni ſubmiſerunt, ſimileſq; nugas ſubtilitate curioſa & blaſphema excogitauerunt. Tu Anima recto tramite ito, immitte in cor diſtinctionem & pondus verbi. Non dixit Dominus, *Pater, vt quid me dereliquiſti*, vt in primo verbo, ſed DEVM, & iterum DEVM bis inclamauit, vt vtramq; naturam exprimeret, & ſe & DEVM verum, & verum hominem proprio ore confiteretur, voluit ſignificare dicens ad Patrem, Tu es DEVS meus, qui ab æterno me ſimilem tibi genuiſti, iiſdem proprietatibus, attributis ornati, vt in omnibus æqualis tibi ſim (nam & ante Diſcipulis dixerat: *Ego & Pater vnum ſumus.*) in illa ergo natura Diuina cùm ſim, etiam aſſumptâ humanitate, in Cruce pendendo nihil patior.

Im-

Impaſsibilitas eſt propria naturę meæ Diuinæ ab æterno, licet totus mundus conſpiraret, nihil mihi nocere poteſt; verum in natura humana verè patior, verè exoluo debita, verè à te DEVS meus, à quo animam & corpus in tempore accepi, fateor me in tormentis à te eſſe derelictum: cùm enim acceſsit reſolutio & tua & mea, vt iuſtitiæ pro omnibus peccatis totius mundi ſatisfacerem, ſciui onus eſſe magnũ cum Pſalmiſta repetendo illa verba: *Iniquitates* (non meæ, ſed populi mei) *ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*: totus laceratus plagis, onere ſpineæ Coronæ ſuper caput meum grauatus ſum, præſciueram ego me derelictum à te fore DEVS, ſi enim conſolationes aliquæ intermixtæ doloribus fuiſſent, tolerabilior Crux eſſet, at plenè expiare decreui delicta hominum; Calicem propinatum
Pſal. 37. v. 5.

mihi, in horto à te ad feces vsq; exhaurire proposui, & quid restabat, nisi vt omni vndequâq; adueniente solatio priuarer. Scelera enim mortalium ita misericordiam tuam læserant, vt irata iustitia æternos cruciatus præuaricantibus præparauerit: ideò ego aduertendo furorem tuum, & sententiam tam iustam molliendo, commutaui ad tempus in tantos meos dolores, vt me derelictum â te (à quo nunquã separari potui) esse voluerim, & id publico in loco confessione meâ non celauerim. Conuersus verò ad nos, vt Magister, docuit, quanta sit grauitas peccati, vt tam dilectus Filius alienis sceleribus coopertus, derelictus fuerit à benignissimo Patre, DEVS, in humana natura à DEO, Consolationis fons, à Patre totius cõsolationis. Hic siste gradum mentis Anima mea, intuere interno & externo oculo Crucifixum, con-

doleas illi, vel potius tibi, cuius causâ in tantas angustias redactũ vides pro te Saluatorem; Si ergo, pro tuis sceleribus immittit tibi DEVS aliquod flagellum, non molestè feras, non incuses Cœlum & Dominum cœli, non te innocentem & minimè promeritum pœnam iudices: potiùs dic: iustè hoc patior, & minùs quam merui: iustè à te derelinquor in tribulatione pro meis delictis, cùm Dñus pro meis fuit derelictus: & cũ mihi propono hæc omnia propter meam salutem facta esse, infinitas maiestati tuæ Diuinæ ago gratias, & peto, ne me in agone derelinquas vltimo, imò sanguine tuo corrobores, & singulari gratia adiuues, & sicut Martyribus & Sanctis tuis videbaris aliquando defuisse aliis, in turpibus cogitationibus à corde discessisse, tamen & auxilium submittendo,

& va-

& vagas cogitationes repellendo, victoriam obtinere concessisti, mihi quoque Clementissime Domine subuenias, illucque introducas, vbi nunquam à te disiungi possim, verùm visione tuâ æternâ in æternum frui concede.

CAPVT XXXVII.

Quintum verbum à CHRISTO in Cruce prolatum.

PAtientissime IESV. Quis dubitasset in tanta atrocitate pœnarum, vt non sitires? Per multas horas fatigatus verberibus, & crucis onere in processione longa, & extensione membrorum in cruce laniatus, & elocutione verborum, præsertim valido clamore præcedens, verbum pronuntiando, lassus, raucedinem guttur tuum delicatissimũ contraxit inde ingens orta sitis. Diuersè ab Euangelistis descri-
bi-

bitur, in siti tua potûs à Iudæis propinatio. S. Ioannes sic: *Postea sciens* IESVS *quia iam omnia consũmata sunt, vt consumaretur scriptura dicit: Sitio: vas ergo positum erat aceto plenum, Illi autem spongiam plenam aceto, hysopo, circumponentes obtulerunt ori eius.* S. vero Lucas: *Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes illi*: S. Marcus bis potûs mentionem facit dicens, *Dabant ei bibere Myrrhatum vinum & non accepit*, & iterum, *Currens autem vnus & implens spongiam aceto, circumponensq; calamo, potum dabat ei*, S: Matthæus etiam duabus vicibus propinatum potum annotat: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*, & cum gustasset, noluit bibere: & inferius, *Continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini & dabat ei bibere*. Considera Anima duabus vicibus siue Iudæos siue milites obtulisse potum Domino ante crucifixionem

Ioan. 19. v. 28.

Luc. 23. 36.

Mar. 15. v. 23.

Ibid. v. 36.

Mat. 27. v. 34.

Mat. 27. v. 48.

nem vel vino mixtum, vel myrrhatum vinum; crucifixo & declaranti se sitire acetum appositum ori: Quis vnquam tam amaro potu credidisset in tormentis refici Redemptorē? Consuetudo fuit & est, vt ante mortem recreentur & refocillentur vires condemnatorum, bonum vinum bibendum conceditur, & puto latronibus duobus id factū, solus Dominus & ab hac concessio, ne exclusus, magis potius afflictus; Quis fel & Myrrham posset bibere, ideò noluit ipse, Postea affixo cruci, acetum circumpositum labijs. Ita displicuit vtraq; potio CHRISTO, vt prius per Prophetam lamentaretur: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto:* Talis ne gratitudo, secuta? Dominus saturauerat in deserto septem millia panibus, Dominus eduxerat ē Petra fontem, vt populus Hæbreus sitiens impleretur; Dominus

Psal. 68. v. 22.

nus

nus Samaritanæ obtulit aquam, ex qua si biberet non sitiret in æternũ, Dominus clamabat die magno festiuitatis: *Si quis sitit ve- niat ad me & bibat,* & cum Domi- nus ipse sitit, datur ei fel, datur ei acetum? O ingratitudo mor- talium! sic fieri debuit, imò vt fi- eret ita placuit Dño nostro, Ideo S. Ioannes addit: *vt cõsumaretur Scriptura, Dixit Sitio.* Pendens, Saluator sciebat de se scriptum, & vt omnia quæ de ipso â Pro- phetis erant prædicta: ad effe- ctum deduceret dicẽdo? *Non veni soluere legẽ sed adimplere*: Vrge- batur duplici siti, ideò bis potu tractabatur, vnâ externa oris, vt dolor linguæ & labiorũ testaretur potuq; execrabili, quem & reie- cit, maius adderetur tormentum Interna altera & maior, quam potius exprimere voluit verbo; *Sitio*: Nouerat ex nĩmia & inex- hausta & absq; fundo charitate non omnes saluandos fore, licet tam-

Ioan. 7. v. 37.

Ioan. 19. v. 28

Matt. 5. v. 17.

tantis passionibus Anima eius
obrueretur, itaq; tali oratione
vsus ad Patrem. Propinasti mi-
hi calicem exhauriendum in hor
to, feci satis mandato tuo, ebibi
totum, cum videam non omnes
passione lucrandas animas: ad-
huc sitio porrige similem cali-
cem & illum sumam, tantùm e-
lectorum augeatur numerus, imi
tati hanc sitim CHRISTI Sancti,
Dauid quomodo licet vsq; ad
Psal. animam eius intrassent aquæ ex-
41.v. tollit vocem dicens: *Quemadmo-*
2. *dum Ceruus desiderat ad fontes aqua-*
rum ita desiderat anima mea ad te De-
us: variè sitiebant Sancti alij ad
gloriam DEI aspirabant. vt hic
Psal. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem*
41 v. *viuum quando veniam & apparebo an-*
3. *te faciem Dei*: Alij vt paterentur
S. Au sitiebant, vt alij: *Auge patientiam*
gust. *& auge dolorẽ*: Alij vt lucrarentur
Rom animas, vt illi: *Cupio anathema esse*
9.v.3 *pro fratribus meis*. Tu Anima mea
sitias hoc quod DEI misericor-
dia

dia vult ipsius te resigna volun- tati, Saluator sitit tuam salutem dicens: *Sitio*: Porrigesne illi fel vel acetum? Damnares te ipsam, & tamen cum Iudæis id facis peccata tua mortalia tũ fel, venialia acetum, hæc propinas Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, sitias potius verum amorem CHRISTI, ipse te certò reficiet, crede mihi, & hic cibo cœlesti in Eucharistia, & in altera vita cibo visionis suæ, vt non esurias neq; sitias in æternum.

CAPVT XXXVIII.

Sextum verbum à CHRISTO pronuntiatum in Cruce.

PAtientissime IESV. Nunc tandem deuentum ad finem & complementũ tuæ vitæ, vel potiùs nostræ redemptionis, & de te per Prophetas prædictionis ideò:

Ioan. 19 v. 30. *Consummatū est*; Sanctissimis labijs enuntiasti, nam cum ante vt consummaretur Scriptura dixisti: *Sitio*: ita cùm nihil restaret: *Consummatū est*: subintulisti. An-
Ibid. v. 28. tequàm hoc verbum examinabitur, forte dubietas occurret: Cur si consumatione omnia impleta, adhuc vnum verbum quod sequetur, restat? Certè ruminando quid posteriùs Dominus elocutus sit, potest aliqua oriri quæstio, si enim consumata erant omnia, quare intereat vt Spiritus Patri redderetur post consummationem. Et tamen ratio & textus Euangelistarum magis inclinat vt precedat verbum, *Consumatum est*. Ratio hæc, quæ facta sunt hactenùs, propter nostram salutem sunt acta, at Deo Patri offerre & reddere acceptā animam ab obedientissimo Filio dignum erat, vt in articulo egressus animæ à benedicto corpore, perageretur extremum o-

be

bedientiæ. Deinde cùm in S. Ioan. 19. v. 30.
Ioanne legatur: Dixit, *Consum-*
matum est, & inclinato capite tradi- Mat. 27. v. 50.
dit Spiritum. S. Lucas autem:
Clamans IESVS *voce magna, ait: Pa-* & Luc. 23. v. 39.
ter, in manus tuas commendo Spiritũ
meum: & hæc dicens expirauit. Po-
tuit ergò inclinando caput ad-
huc dixisse. Et cùm dico Euan-
gelistæ Primi, voce magnâ cla-
masse Dominum ante expiratio-
nem docerent, S. Lucas hanc
vocem tradit fuisse, commenda-
tionem animæ Patri, conuenien-
tius itaq; *Consummatum est*: ante-
cessisse vltimo quod ponetur
verbo. Nobis potius conside-
randum superest, quid hoc ver-
bum denotet; *Consummatum*: &
quid intellexerit, CHRISTVS in
Cruce? Inter alias causas de-
scensus de Cœlo Redemptoris
fuit, vt adimpleret omnia Pro-
phetarum oracula, quod tam di-
ligenter executus est, vt ipse di- Matt. 5. v. 18.
xerit sæpius. *Iota vnum, aut vnus*

apex non præteribit de lege, donec omnia fiant: id potissimum in mysterio Incarnationis, & Passionis clarè patet, si attentè conferas & Psalmos & Prophetarum scripta, ad vnguem Saluator impleuit, vt ergò & in Cruce, Testamentum condendo idem approbaret, dixit: *Consummatum est*: Totum quod de illo à Prophetis fuerat prçcognitum. Vita CHRISTI exemplo nobis fuit, & quasi manu ducebat, quomodo nostram eidem conformare deberemus, ideò non aliquam specialem, communem potius
Ioan. 13.v. 15. elegit sæpe admonendo: *Exemplum dedi vobis, vt sicut ego facio, ita & vos faciatis.* Ideò S. Ioannes dixerat ante institutionem SS.
Ibid. v.1. Sacramenti in illa ceremonia vltimæ cenæ: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*: id est, vsque ad hoc vltimum verbum in Cruce dictum, *Consummatum est*, intelligere voluit Dominus, quæcunque po-

potui facere & pati, omnia ista pro liberando humano genere facta: propterea canitur die Passionis de Saluatore: *Quid vltra facere debui, & non feci?* Ac si dixisset: ad vltimum halitum insudabam structuræ Redemptionis, iam eam absolui: Consummatum est ædificium tam nobile & tam gratum Deo Patri. Verùm relinquit nobis vt ante dictum est, exemplum, & quidem duplex, & omnium virtutum semitã, & perseuerantiæ studium. Passio itaq; Christi est prototypon singulare, ex quo Anima Christiana posit aliquam virtutem sequi, & illam pro scopo itinerarij sui constituere, hinc Sancti præcipuè in vna aliqua virtute excelluerunt, vt S. Franciscus in humilitate, S. Paulus in doctrina & alij, Martyres in patientia, Confessores in charitate, Virgines in castitate, hæ virtutes ex vitæ Domini imitatione

Isaiæ 5. v. 4.

deductæ. Etenim in excessu in Saluatore nostro concurrerunt omnium virtutum eminentiæ, Patientia sine exemplo (nō enim naturaliter id perferre vlla poterat creatura, quæ à Domino perpessa legimus) humilitas profundissima, cum quā certare nemini concessum: Mansuetudo inenarrabilis: cui non datur assimilari: silentium perfectum, quod caret paritate; Charitas supereminens, quæ è cœlo allata, in cœlum in summo gradu excellentiæ cum Domino ascendit. Quare consummatum verè nostræ Redemptionis opus, ad summam deuenit perfectionē, non datur vltra. At ad omnes has virtutes perseuerantia necessaria, hæc omnes coronat, ipsa est Laurea perfectionis omnium, vt ergò doceret nos, & perseuerantiæ donum in Cruce impetraret, à Patre, Redemptor dixit: *Consummatum est*, rogando Pa-

Patrem, vt Electis ad vltimum halitum perseuerantiæ gratiam impertiretur. Væ Anima tibi, pro cuius salute consequenda ad consummationem CHRISTVS laborauit, & tu in tua propria absente perseuerantia oscitanter procedis? Roga demissè CHRISTVM, vt ipse det tibi ad consummationem spiritus vltimi tui, in eius seruitio durare, vt posſis dicere libere in extremo transitu, fidem seruaui, cursum feliciter consummaui.

CAPVT XXXIX.

Vltimum verbum à CHRISTO in cruce dictum loco Epilogi.

PAtientissime IESV. Liberalitas tua in vita & in morte enituit omnibus; omnia enim nihil sibi relinquendo distribuisti, & si posset prodigalitas virtus vocari, (quod absit) in te eminenter appa-

appareret, dete tu ipſemet di-
Matt. 8. v. 20. & Luc. 9. v. 58. xiſti: *Vulpes foueas & aues nidos ha-
bent, & filius hominis non habet vbi
caput reclinet*: O vere ſic? ſed non-
ne in Cruce habuiſti ligni reſi-
duum ſupra caput, vbi illud de-
poneres? Fuit quidem lignum,
& quod amplius læderet venera-
bile caput, cũ applicare voluiſti
ligno intermediæ ſpinæ magis
pungebãt, acriùs intrabãt in ce-
rebrũ, retundebãtq; acumine re-
poſitũ verticẽ, veriùs quod nec
in Cruce fuit capiti hoſpitium ni-
ſi ad tormentum, omnia diſtri-
buiſti dona ſupernaturalia, vir-
tutes tuas, poteſtatem miraculo-
rum diſcipulis reliquiſti, in paſ-
ſione & morte ſanguinem copi-
oſiſsime ſparſiſti, in terram, in
parietes, in columnam, in car-
cerem, in veſtes, in plateas in
Crucem, vt omnibus prodeſſet
ad ſalutem, Crucem tuam inte-
gram permanere prohibuiſti,
imò in minimas particulas diui-
dere

dere mandasti, vt multis solatio esset & participatio tui, de morte, & Diabolo triumphi: Vestes militibus, quasi pro stipendio, in lusum cessisti: Matrem Ioanni, & vicissim commendasti: Paradysum Latroni aperuisti: Corpus terræ commisisti. Nihil restabat iam nisi Spiritus, & ille cui? Non debebatur spiritus reddi, nisi ei à quo est acceptus, nisi ei cum quo est Spiritus, nisi ei cum quo in æternum erat mansurus. Patri ideo dixisti: Lucæ 23 v. 57.
Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum: Non vocas, DEVM Domine, sed Patrem appellas, parando enim reditum in cœlum, depositâ sarcinâ mortalitatis in sepulchro, reuertebaris quasi ad primogenituram tituli Filij, quẽ habebas antequam mundus esset, dixisti hoc verbum, vt obedientiam præstitam tanquam Filius Patri, vsque ad vltimum exitum animæ è corpore testareris.

Pro-

Pronunciasti illud, vt placatam iram paternam hominibus declarares, ita vt omnes filij electi possemus nominari Patris æterni. Tu primogenitus omnium decedens è mundo vocasti Patrem. Vt autem ad oculum ostenderes, expectasse spiritum tuum cum voluptate Patrem, vti Filium è longinqua & periculosa redeuntem peregrinatione, idcirco addis: *In manus tuas*: Si enim filium prodigum illum in Euangelio, licet indignum, & qui omnia bona à Patre accepta cum meretricib⁹ consumpserat, & dissipauerat inutiliter, tamen receptū à Parente legimus, quid putamus, qualiter DEVS Pater Spiritum Saluatoris, omnibus hostibus superatis, tam multis redemptis, morteq; insuper suâ, morte contrita, salutauerit, exceperit, in amplexusq; eius ruerit? Non potest comprehendi hoc intellectu mortali, nihilominus
mi-

minùs adumbrare voluit Dominus, & hac de causâ adiecit Spiritum se resignasse *in manus* Patris: Quæ istæ manus; Non aliæ quam misericordia & iustitia, vna tantum manus DEI hactenus in mundo apparebat, videlicet iustitia, quæ rigidè terrebat & regebat terram, omnia plena horrore & desperatione erant, Caim occiso fratre de misericordia desperauit, quinque Ciuitates ignem euitare non potuerant, aqua deleuit creaturam, pro vno peccato multa millia in deserto Iudæorum absorpta à terra. Quando verò Filius DEI vtramque manum extendit in cruce, vtraque manus DEI Patris visa in terris, Misericordiæ manus delapsa è cœlo, æqualiterque in terram cum iustitia descendit. Prædixerat Dominus de hac manu, promeritã à se mundo, asserendo; interroganti enim Petro, an septies, si peccasset frater in eum, posset

dimmittere ? *Et septuagesies septies*, id est absq; numero, censuit dimittendum, non visa hæc manus ante. Dum ergò Domi-
Luc. nus dixisset: *Pater, in manus tu-*
23. *as commendo Spiritum meum*: intel-
v.46. ligendum, Deo Patri Filium cõmendasse Passionem suam, & per passionem, obtentam misericordiam, ità Patrem alloquendo. Vides mi Pater, vtramq; manum clauis æqualiter affixam, & laceratam, tu viceuersa æquali lance, & iustitiæ & misericordię sinum ostende creaturæ tuæ in mundo viuenti, vt si instigantibus peccatis iustitia vellet districtiùs punire delicta, misericordia excipiat ictum, & furorẽ tuum auertat, propterea Commendo spiritum meum diligenter, vt reuocet tibi in memoriam non solùm iustitiam, sed & misericordiam debere hominibus communicare cœlum. Vltimorum verborum meorum sis memor

mor Pater, & ideò nihil ampliùs ante emissionem spiritûs Dominus est locutus. Tu anima, deplora scelera tua, vt quando veniet hora illa, quâ spiritus tuus separabitur è corpore, eâdem oratione vti possis, dicens: Domine IESV CHRISTE, in manus tuas commendo spiritum meum, suscipe illum, & perduc è morte ad vitam æternam, tuo cruore apertam.

CAPVT XL.

CHRISTVS *inclinato capite emisit Spiritum.*

PAtientissime IESV. Dilectus tuus Discipulus & Euangelista describit hanc tuam vltimam ceremoniam ante mortem his verbis: *Et inclinato capite tradidit Spiritum:* O vere mira circumstantia; & non frustra, vt hoc modo & non alio, Spiritus

Ioan. 19. v. 30.

iam traditus ante Patri, recipe-retur ab illo. Digna tamen admiratione res, & possunt depromi causæ aliquæ, meditatione, Cur inclinato capite emiserit Dominus Spiritum: Primò quidem generaliter & communiter potest dici inclinationem capitis secutam propter debilitatem corporis, adeò vt necesse fuerit caput in corpore reclinare, tanquam eneruatum doloribus flexibile factum, & vigore sensus destitutum, verum altiùs & profundiùs, est considerandum Docuerat CHRISTVS prædicando:

Mat. 11. v. 29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*: Quod ipsa re totâ vitâ executus est modestia illius omnib⁹ nota maximè in Cruce cum improperatorib⁹ sibi in faciē, nihil responderet; quod ipsum & per Regem Prophetam testatus est:

Psal. 37. v. 14. *Ego autē tanquā surdus nō audiebam & sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens*:

ve-

vere Dñe mutus fuisti at summè etiã humilis, humiliasti enim te vsq; ad mortem & morte Crucis: quid adhuc deerat humilitati: Non poteras alijs membris affixus in Cruce corpore toto exercere amplius, capite ergo demisso suprema humilitate eam virtutem commendando, morte tua sigillasti, vel post emissam vocem: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: respondit illi Pater nobis ignoto responso, aut in hunc modum eum alloquendo: veni dilecte mi fili accipe Coronam quam promeruisti, inimicos omnes superando, de ipsa morte triumphando, scelera vniuersa humani generis exoluendo, exaudita est tam efficax Oratio, fiet, quod petis, (illud ipsum & S. Paulus docet, *exauditum esse Dominum pro sua reuerentia*, cum ad Patrem pro nobis in Cruce supplicasset) CHRISTVS itaq; & Patris voluntatem

Luc. 23. v. 46.

Heb. 5. v. 7.

declarando, & suæ cũ ipsius conformitatẽ approbãdo & annuẽdo sacrosanctum caput inclinauit, si enim in horto cum calicem passionis bibere proposuisset, resignauit & subdidit voluntatem propriam paternæ, quantò magis nunc cum victor rediret ad Patrem. Psalmus ille hoc ipsum

Psal. 2. v. 8. exprimit. dicit enim Pater ad Filium: *Postula à me*: Hæc petitio facta potissimum in Cruce, & tã efficax, vt statim responsionem à

Psal. 2. v. 8. Patre habuerit: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuã terminos terræ*: Dominus gratias egit demisso vultu & tradendo Spiritum caput cum reuerentia inclinauit. Vel, quoniam CHRISTVS profitebatur se esse vitam viam & veritatem, ipsâ re comprobauit. Veritatem docuit in mundo, vitam se esse demonstrauit resurrectione, cum vi suâ morte depulsa ex sepulchro exiuit, in glorioso corpore frequenter

ap-

apparuit, ac in cœlum videntibus discipulis ascendit: viam vero se esse ostendit in emissione spiritus, caput benedictum inclinando declarauit quo iret, corpore scilicet ad sepulchrum, anima ad inferos sub terram in limbum ad eliberandos Patres descendit, si Sanctis congruit illud dictum sapientis: *Visi sunt oculi insipientium mori illi autē sunt in pace:* Sap. 3. v. 2.
Quantò magis Domino Saluatori nostro competit? Iudæi putabant esse mortuum. de obsignatione sepulchri cogitabant, Redemptor vero, tum exordium & primum passionis fructum exercuit educendo è carcere animas, quæ erant à tot millibus annorum detentæ, verè fuit in pace, quia per illum facta pax, inter cœlum & terram, inter Creatorem & creaturas, inter iustitiam & misericordiam, quæ se mutuò osculatæ sunt, pacem secum tulit in limbum bello finito cum Dra-

cone Infernali. cuius Possessa abstulit spolia. Anima mea gratias age pro te Crucifixo Domino quod Doctor humilitatis vltimum actum in exemplum nostrum elicuerit, valedicendo mundo in separatione benedictæ animæ, à sacrosancto corpore, supplex adora & exora inclinando ad terram caput tuum, vt quãdo tibi eadem separatio instabit, cum omni debita reuerentia & humilitate tradas à quo accepisti Spiritum, nec cesses petere, vt sicut è limbo saluator eduxit animas Patrum ac ouans secum ad cœlum deduxit, ita & te meritò crudelissimè passionis suæ, si te peccata ad Purgatorium iustè condemnabunt, liberet à pœnis, & in gaudia æterna recipiat.



ACTA



ACTA CHRISTI post Paſsionem.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De quinq; rebus factis ſtatim post expirationem CHRISTI *in Cruce.*



Atientiſsime IESV: Reliquiſti mundū & vitam in Cruce, ſed ſigna horrenda ſecuta ſunt tuum obitum, quæ S, Matthæus Euangeliſta deſcribit, quinq; numero: *Et ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſq; deorſum, Et terra mota eſt: Et petræ ſciſſæ ſunt: Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt:* horro- Matt. 27. v. 51.

rore impleta sunt omnia ? & rectè: nam si homines & præcipue tui inimici, tunc exultabant te, terrerentur statim illis prodigijs, & illorum crassam ignorantiam redarguerent, gesta inaudita. Consideranda breuiter hæc omnia. Et primò de veli scissione, in veteri testamento hactenùs velati homines erant, in desertoq; dum essent in nubibus tantum, Dominum audiebant loquentem, sacrificia in sanguine animalium perficiebantur, apud solos Iudæos vera religio fuit, alijs gentibus velamen erroris, fidē obumbrabat, qui decedebant è vita hac, etiamsi purgati per pœnitentiam, non rectâ via ferebantur in cœlum, velum erat carcer Limbi, quo inclusi ad Aduentum Messiæ detinebantur: Nunc per Mortem CHRISTI, velum hoc merito disruptum est iam enim os ad os locutus est in Carne Dominus, & post resurre-

tectionem affatus est Discipu-los & alios & multis Sanctis adest præsens sine timore, potiùs cum summo amore; sacrificium peragitur in Ecclesia vniuersa, non in vitulorum sanguine, verùm Agni Immaculati, memoria passionis renouatur quotidie in toto terrarũ orbe: Non solum Iudæis, at omnibus gentibus & nationibus patet aditus ad cælum: Limbus nunc vacat. Purgatorium solum nõ detersos per Sacramentum pænitentiæ, retinet: Tu Anima scinde velum quod est inter te & DEVM hoc non est aliud nisi peccatum: vel potiùs obsecra DEVM, vt ipse per Passionem & Crucem scindat velum delictorum tuorum, & te admittat ad visionem beatificam *Secundum signum*, quod terra mota fuerit: pro timore id factum cùm DEVM in se sepulturæ officio debuerat habere, agnouit magìs indignitatem suam, quam morta-

mortales, si enim Iacob Pater & fratres coram Iosepho se humiliarunt, & cum timore maximo ad eum accesserunt, quid non factura erat terra? (quæ quidem erat Parens respectu carnis assumptæ à CHRISTO,) vidit & agnouit cum Latrone bono esse Deum & Creatorem & Dominum totius mundi & cæli; ideo præ horrore contremuit; Tu Anima si es terrena, moue te & contremisce, sciendo CHRISTVM esse verum ab æterno DEVM Et in Venerabili Sacramento esse præsentem. Quando ergo in te tanquam in sepulturam suscipis, commoue teipsam, per lachrymas & pænitentiam, rogando, vt te ad se trahat; quatenùs in Resurrectionis gloriâ ipsi socieris. *Tertium signum.* Quod Petræ scissæ sunt, ita fieri debuit, cum petra suprema non tantum scissa, & dilaniata fuit, nonnè CHRISTVS petra? Nonne Petrus etiam

etiam â CHRISTO petra vocatus & Noua Ecclesiâ ædificari cæpit per Sanguinem Domini, lapis fundamentalis ille postea Petrus, vtraq; Petra hæc scissa, CHRISTVS per mortem, Petrus per abnegationem: meritò itaq; aliæ Petræ scissæ sunt inanimatæ, ob condolentiam criminis Petri & ob reuerentiam decessus Domini. Verùm ex hoc fundamento tanta firmitas petræ huius postea secuta, & nunc durat & durabit, vt nunquam amplius scindi possit, nec vnquam portæ Inferi præualebunt aduersus hanc petram. Vel, quod duriora corda fuerant Iudæorum ipsis petris. Mos erat in luctu apud illos, scindere vestimenta, contrarium iusserat Propheta in Persona Domini, *Conuertimini ad me in toto corde vestro, & ieiunio & fletu & planctu & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra:* Ioel. 2. v. 12. ideò quia Annas vestimenta scidit

dit, & non cor condemnando Dominum, debuerant scissuræ apparere in petris, tanquam magistris cordium infidelium Iudæorum. Tu Anima supplex ora Saluatorem vt petrã, id est cor tuum frangat ad pænitentiam, detq; cor molle ad custodienda mandata sua. *Quartum signũm* Quod monumẽta aperta sint nõ mirum, indignum rati occlusa stare monumenta, cum Rex Regum in nouo monumento poni debuit. Monumenta non aperta, sordes & malum odorem retinent ex apertis exhalat pestiferus vapor: Mors tua CHRISTE ut ante quatriduanum fetentemq; suscitauit Lazarum ita iam sæpissimè excitat multos, aperit sepulchra delictorum, ac per pœnitentiam dissipatur malus odor scelerum. Anima id enitaris, & si peccatum tanquam in sepulchro cordis residet, per confessionem aperias, succedet suauis odor

odor indulgentiæ à Deo *Quintum signum*, quod surrexerint corpora multa quæ dormierant, antecedebant Christvm resurgentem, tanquam famuli Herum, prædicarunt Maiestatem & potentiam breui resurrecturi, Dicam ad te Anima, surge quæ dormis, ac ita resurge à delicto, vt resurgas cum Redemptore triumphans.

CAPVT II.

Apertio à Longino lateris Christi.

PAtientissime Iesv. Non satis fuit furori Iudaico vsq; ad agonem insultare, & dileuare tum verbis tum plagis sacratissima membra tua: nisi etiam post mortem nunquam, lecto casu, sæuiret in venerabile corpus tuum; Ita enim Euangelista reli-

Ioan. 19 v. 32. quit nobis: *Venerunt ergo milites & primi quidem fregerunt crura & alterius qui crucifixus est cum eo: ad Iesum autem cum venissent, & viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuó exiuit sanguis & aqua*: Non permisit Devs, vt sibi crura frangerētur, nam Ecclesia eius infracta debuit permanere ad consumationem sæculi latrones duo omnes sectas repræsentarunt, idcircò fracti sunt, & opiniones erroneæ frangentur, doctrina autem Christi non collidetur; Fundationis Ecclesiæ similitudo, fortè sumpta est à formatione Euæ in Paradyso, ibi dormiente Adamo Exemit Devs costam ex qua producta est illa. Hic quiescente Christo in cruce, vt de se in Psal-
Psal 3., v. 6. mo loquitur: *Ego dormiui & soporatus sum*: apertum est latus, ex qua apertione prodijt Ecclesia, simulq; sacrificium, vel potius norma

norma sacrificij cum iam per totum Mundum in vino loco sanguinis, & in aqua conficiatur, verum Corpus & Sanguis CHRISTI & hoc quod iussit in vltima cæna, vt in memoriam celebraretur aperto latere modus consecrationis, & oblationis prætiosi Corporis & Sanguinis omnibus declaratus. Ausim te Domine interrogare. vnde post mortem adhuc Sanguinis residuum, vnde & aqua? A morte tua plurima miracula simul concurrerunt, verissimè reseruasti in nuptijs, cum sponsa tua Ecclesia bonum vinum ad vltimum, simul & aquam, vtrumque ad Sacrificium necessarium: illud ad tractandos hospites, vinum scilicet in quo non est luxuria, hæc ad delenda per pænitentiam peccata. Longinus audax miles, expertus statim virtutem, sanatus est interno & externo oculo, postquam aperuerat latus tuum: pro-

pterea addit Sanctus Ioannes.
Ioan. 19. v. 35. *Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.* Quale illud, anteà dixerat: *Verè hic*
Mar. 15. v. 39. *homo, Filius Dei erat:* Restat adhuc considerandum, quod Dominus noster non fuerit solum via, veritas & vita, iam factus est etiam meta. Curritur tanquã ad brauium pectus eius lanceâ aperitur, veluti ad annulum, instituitur cursus. Aptissimus est terminus omnium nostrum Saluator, ad quem actionès nostras dirigere debemus. latus eius est terminus, ad quem collimare nobis est necessarium, inde tot Sancti viri optarunt, vt in latere Redemptoris cubiculum requiei extruere sibi possent: imò & intrarunt, vnus ex illis: Longinus aperuit mihi latus CHRISTI Lanceâ, & ego intraui & ibi requiesco securus: Alter portam appellat auream portam lateris: Primum quidem ad ignominiam ab

am ab inſano milite reſeratam. at ad gloriam poſtea CHRISTO reſurgente conſeruatam, & ſimul noſtram, dum cum Apoſtolo in ipſo gloriamur. O porta ſemper aperta? Et à Longino licet non bonâ intentione, non malè reclusa, ſucceſsit enim cùm viſum vnius oculi miraculoſè receperit: nam traditione habemus, ſanguinis guttulam tetigiſſe oculum eius, ac cæcitatem depuliſſe. Tu anima, duos debes habere oculos, fidem bonam & opera bona, ſi cœcutis in operibus, appropinqua lateri Domini, meditatione compaſsionis aperi, certò certiùs gutta aliqua è pretioſo ſanguine, aperiet tibi oculum internum, ad bona opera exercenda. Si enim non cogitanti Longino, tanta collata gratia, vt & oculo ſanatus, & lumine interno repletus, optimo fine & martyrio vitam concluſerit, quid non ſperare tu poteris, ſi te im-

merges contemplatione in latus Domini pro te aperti: nam tuus IESVS (vt cum S. Bernard. loquar) Post cætera beneficia, pietatis etiam dextrum sibi propter te passus est latus perfodi, quod videlicet non nisi de dextera tibi propinare vellet, non nisi dextera locum parare refugij. Vtinam merearis esse columba, quæ in foramine petræ habites, & in foramine lateris dextri, noluit Dominus excipere vulnus, nisi soporatus, vt te anima moneret in huius lateris vigilare custodia, quam diu viuis. Nam ea anima mortua est, quæ perniciosa insensibilitate dissimulat in dextera sibi vulnus infligi. Quod à te auertat clemens Saluator, qui ideò aperuit latus, vt tibi aperiret viam, angusta illa erat in Cruce sed dilatata est & trita, per quam patet omnibus accessus ad illam latam, cælestem, quæ semel ingressos nunquam emittit.

CAPVT III.

Petitio Ioseph ad Pilatum pro deponendo Corpore CHRISTI de Cruce.

PAtientissime IESV, Omnibus reuersis è tam tristi specta-culo ad Ciuitatem, alijs de morte tua triumphantibus, aliis pectora percutientbus, soli amici relicti circumstantes, implorando diuinam opem, vt saltem corpori tuo sacro exangui auicinari possent, præcipuè Mater tua dilectissima libenter expectabat, vt cum viuo frui non valeret, in mortuum, maternum effunderet imbrem lachrymarum. Suscitauit itaq; DEVS Pater Spiritum Ioseph, hic misertus, salutis auctorem pendere desolatum, licet fuerit occultus eius discipulus propter metum Iudæorum, vt Sanctus Marcus ponit: *Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt* Matt. 15. v. 43. *corp*

corpus IESV? Vnde tanta audacia Iosepho? Antea latebras quærebat, nunc palam fatetur se esse Discipulum, corpus deponere de Cruce Domini & Magistri sui nititur; opus DEI mirabile? Examinandum est vnde ista audacia Iosepho, quâ fretus rogauit Pilatum pro recuperando Corpore? Deinde quid causæ, cur tam facilè Pilatus concesserit? Tandem quid est quod non nisi superioris permissione, ablatum Corpus? Audacia Ioseph potest quidem referri ad hoc, quod cum Diues fuerit, si Pilatus pretium proposuisset, libenter exoluisset, magis tamen id amor erga Magistrum effecit: cuius causa passio, quæ antea timidum, nunc audacem & liberalem Iosephum reddidit, Vnde oblata occasione celare amplius non valuit animus, affectum erga Dominum, puto etiam resolutum fuisse ad mortem, si Pilatus denegasse.

gesset. Hinc animæ tuæ doctrina omnia audenda pro CHRISTO, etiam impossibilia, impossibile enim est, vt Deus non secundet exitum, si pro eius honore & gloria etiam grauissimum suscipiatur onus, DEVS hic vtrumque fecit, vt ei Ioseph peteret audacter, & Pilatus statim concederet. Quæ concessio facilis duabus ex causis facta: tum propter Parasceue Iudæorum ne in sepultum iaceret, tum quia desuper datum fuit Pilato, vt qui CHRISTVM condemnarat eius sepulturæ non difficile assentiretur. O Pilate miserrime mortalium, nesciebas quantum thesaurum tam facile damnasti? Omninò necessarium fuit, vt sacrosanctum depositum terræ velociter mandaretur, & sepulchro includeretur, ex quo gloriosè vi & potētia suâ, tertia die resurgere decreuerat. Occurrit & hæc quæstio. Cur mirabatur Pilatus, quod iam

obij-

obijsset Dominus? Vel admirando Domini patientiam, qui est flagris millenis cæsus, & acutis spinis cerebrum pertingentibus, ex quarum singulis doloribus, alij animam exhalassent, id sano corde pertulit, diuinum quid in eo suspicabatur & fortasse immortalem cogitabat, videns quoque signa terribilia, vltra hominis simplicis mortem fieri intellexit, ideò mirabatur mortem celeriter secutam: vel alijs distentus curis, hoc tempus quo acerbissimo dolore, occupatus fuerat Saluator, ita breue illi visum, vt ad celebrioris mortis nuntium incredulum se fateretur. Quod autem nec corpus proprium é cruce CHRISTVS deponi sine permissione præsidis voluit, ob excessum obedientiæ factum vlterius, quam S. Paulus existimauit dicens: *Factus obediens vsque ad mortem.* Etiam post mortem, etiam in corpore tollendo è cru-

ce noluit deesse obedientiam, nō nisi ex cōcessu Superioris Pilati. O ter felicem te Ioseph, qui tantam gemmam ex ligno in quo salus nostra peracta est, sustulisti! Petitio tua nulli comparanda: Petijt Bersabee vt regnaret Salomon Filius, & adorauit Regem Dauid. Quid est respectu pretiosi Corporis CHRISTI, quod simplici Oratione Ioseph obtinuit? Si reliquias Sanctorum summo studio conquirimus, & summo honore veneramur, & benè id facimus, quanto prætio Reliquiarum nobilissimarum Margaritham æstimabimus, & fortunam Ioseph admirabimur, cui tā facile contigit obtinere tantum thesaurum? Sanctam inuidiam excita in te Anima, & quandoquidem tali beneficio indignam imparemq; te iudicas, & quidem meritò ad minimùm cum Ioseph compares Sindonem, quo inuoluas Corpus IESV. Cupit Domi-

Dominus in corde tuo deponi, eme ergo sudarium purā & immaculatā cogitatione, lauacro Munditiei per veram pænitentiam & realem delictorum confessionem. Nam Pilatum nec vllum alium oportet rogare, vt extradatur tibi Corpus CHRISTI & quidem non mortuum, sed viuum, imò ipse te inuitat. Habes illum in Altari. Propera ergo ad deponendum non de Cruce, verùm de manu Sacerdotis, & tuo pectori immittendo illi te toto corde coniunge, vt cum illo in beata coniungaris æternitate.

CAPVT IV.

Depositio CHRISTI de Cruce, & infra Matris anxia expectatio.

PAtientissime IESV. Quanto cum desiderio Ioseph venit,

imò cucurrit ad deponendum te è Cruce funestissima, quis id, nisi tum præsens explicare posset? Amor qui omnia potest exponet animæ quærenti. si enim audacter petijt, vt Corporis CHRISTI deponendi potestatem Præses ei daret certè velociter perfecit. partim vt amori & gratitudini erga Sanctum Magistrum debitæ satisfaceret, partim timendo, nè Pilatus mutaret sententiam; accelerandum itaq; ratus instrumenta necessarià conquisiuit, vt dolorosum Corpus è Crucis ignominia quam primum auferret; Triplicia instrumenta adhibita: Scalæ ad escendendum & descendendum de Cruce: Linteamina quibus dissoluta membra tenerentur ne onerè corporis & præcipuè illius Coronæ spineæ indecenter in terram deciderènt. & pondère suo è manibus dèponentium elaberentnr: Mallei qui è clauibus affi-

affixis, pedes & manus liberarent, vt vacui à detentione crucis absoluerentur. O benedicta hæc instrumenta, quæ Sanctissimum Corpus tangere meruerunt? Magis felices manus, quibus concessum fuit id versare, & detergere & sacro Sanguine profundi in seruitio pientissimo! Finge te Anima stare à longo, & intueri illorum officium sedulamq; in deponendo operam, Existimo piè inuidisse Angelos hoc obsequium hominibus. Cum enim ad ministeriũ sint deputati, nonné pro summa felicitate reputasset, si eis inseruire corpori sui Domini licuisset? At fortuna hominum maior, nam cum naturam humanam DEVS assumpsisset, voluit etiam, vt hominum humeris ceremonia tam funesta, cum amore & merito coniuncta, absolueretur. Vidisses Anima velut Angelos, homines illos ascendẽtes,

tes & deſcendentes diſcurrētes vt corpus citius à cruce ſepararetur. Scala illa Iacob, inferior fuit felicitate his ſcalis: ibi ſoli Angeli aſcendebant & deſcendebant. hic homines Angelis permixti, eoſdem gradus ſurſum & deorſum repetebant. Supponebant linteamina membris, è clauis ſolutis malleos ipſos oſculabantur, & interim muſica mœſta reſonabat plena luctu & rugitu, cùm & præterita ſupplicia Christi ante oculos verſarentur eorum, & in ipſis membris atrocia vulnera conſiderarent propè & palparent. Mater Maria, quandoquidem ſibi viuum filiũ Iudæi abſtulerant, & in ligno ſuſpenderant, ad minimum iam ſolatium (ſi tamen non maiorem mæſtitiam appellare quis mallet) expectabat, vt mortuo oſcula doloroſa figere poſſet, & melius plagas cordi infigere an ſe totam in planctum effundere.

Gen. 29. v. 12.

Deposito ergò Domino de Cruce, instrumenta hæc vbi sunt? vix claui ostenduntur. Tu anima, mysticè & spiritualiter interpretare: si enim dixit Dominus Discipulis: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*; & tamen concludit in alio loco. *Quinimò beati qui non viderunt & crediderunt.* In excelso beatitudinis gradu fore illos, qui cùm non vidissent contemplationis oculis. ad excitandam intrinsecam CHRISTI pietatis compassionem ob oculos, quasi rem viuā proponunt, & se præsentes tùm fuisse desiderio imaginantur, atq; ad spiritualem sensum cogitatione deriuare nituntur. Tu idem quantùm fragilitas permittit facito Anima, instrumenta hæc, quibus deponere cuperes Corpus Domini, compara; habeto scalas, per quas alio contemplationis, ascendas amore, & descendas timore, admirando vulnera, quæ

Lucæ 10. v. 23.
Ioan. 20. v. 29.

mea cogitatione attingere, sin-
gulare donum ei concederetur,
verũ impossibilè est id assequi.
Cum enim amorem sequatur
dolor, & ei se accomodet, men-
suraq; sit doloris amor, illoq; ma-
iori vel minori augeatur aut di-
minuatur, verissimum, quoniam
Mater tua MARIA incomparabili
amore te prosecuta est, etiam
absq; comparatione dolorem ex
crudeli tua morte passa est. Dei
amor omnes alios superare de-
bet in pia & Christiana Anima.
MARIA gratia plena erat, excel-
lebat in amore erga DEVM, &
hoc non terra sed Cœlum per
Angelum fassum est. Mater quę-
libet filium vnigenitũ, & omni-
bus virtutibus plenum valdè di-
ligit, quomodo non dilexit MA-
RIA tantum Filium primogenitũ,
omnium eximiarum virtutũ co-
piâ adeò plenum, vt ex eius si-
nu in omnes guttatim homines
per riuulos quosdã gratiæ deri-

Ioan. 1. uentur, *ex plenitudine enim eius cuncti accepimus*, hæ dilectiones excelluerunt in MARIA, Iam dolores è contra consideranti vt Deum & vt filium simul à Discipulo tradi, vinciri, verberari, conuitijs affici, cruci affigi, & omnia in summa patientia pati, quodque supremum est, videre hæc, & intueri Matrem, ac oculis adesse præsentem, ad qualem excessum dolor eleuatus: post Dominum illa verba Mater dolorosa vsurpare potuit: O *vos qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus*; Similem Matrem nunquam vidit terra nec similem filium: nec similem amorem, nec similem ergò dolorem. Cui tamen dolori assimilari potest tuus Sacra Virgo & Mater dolor? Fortè attigit propheta Hieremias dicendo in persona Matris ad filium: *Vide quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subuersum est cor meum in memet ipsa, quoniam amaritudine*

Thre. 1. v. 12.

Thre. 1. v. 20.

pro te in corpore à Saluatore sunt suscepta: Linteamina quibus sustentes membra, & detergas sanguinem, sunt opera fructum afferentia & inopes subleuantia. vt labore, & sudore parta, atq; à Deo donata, cum egenis diuidas, eorumq; paupertatem subleues: Malleus non desit, qui extrahat clauos è pedibus & manibus Christi, hic est, dura pœnitentia, & castigatio corporis, vere durus malleus, at Deo gratus, qui non tam è corpore illius, quàm tuo, Anima extrahit clauos, quibus à Diabolo eras affixa: Tales mallei sunt cruci adhærentes mali Latronis, euelle & libera te à seruitute & detentione tam atroci, vel potius ora Saluatorem, vt sicut ille depositus fuit de cruce, cũ summo planctu inseruientium, ita cũ tua depositio aut separatio à Corpore superuenie, e diametro fiat cũ iubilo tibi Angelorum assisten-

tium, Dęmonum vero fugâ & confusione. Nam dixerat Domi-
Ioan nus ad Apostolos: *Tristitia ve-*
17. v. *stra vertetur in gaudium:* vt & De-
20. positio CHRISTI conuersa est in gloriam, ita non aliter, si tu Anima depositionem CHRISTI mœrore sæpius ante oculos propones efficiet hoc Morte sua & passione Redemptor, vt corpus tuum separatum à te, requiescat in manibus Saluatoris: quod Sanguis eius effusus tibi impetrare à Patre cælesti dignetur.

CAPVT V.

Consideratio doloris MARIÆ tenentis CHRISTVM brachijs ante sepulturam.

PAtientissime IESV. Si quanto dolore in Sanctissimas manus tuas Mater tua dulcissima Corpus excepit, posset Anima

mea

tudine plena sum foris interfecit gla- Luc.
dius & Domi mors similis est; Ma- 11 Pa.
gna amaritudo? Antea clama- 27.
bat quædam ex turba: *Beatus venter qui te portauit*, & nunc con-turbatus est præ mærore, quia illum amisit quem portauit, cor subuersum est ex nimio amore, mutatum in crudelem dolorem, gladius prædictus à Simeone forte interfecisset Matrem, nisi singularis gratia conseruasset: propterea dictum fuit: *Pertransibit*, quasi voluisset proferre, pertransibit, non semel. dolore cruciabat, angustiâ, & quod peius, non tollet vitam, & ideò addit, *Domi mors similis*, interior videlicet anxietas, morti similis, & eò ipsò grauiùs accidit, quod sine morte vera, vt eum cum S. Bernardo mirari oporteat: *Plus Mariam compatientem quam Mariæ filium patientem. Hic Corpore mori potuit, illa commori corde non potuit*: Idem Propheta in Persona Ma-
tris

tris, eiusque doloris subinfert:
Thre. *Cui comparabo te, vel cui assimilabo*
2 v. *te filia Hierusalem* (Mater enim
13. Dei sæpius eò nomine vocabatur) *cui exæquabo & comparabo te Virgo Filia Sion*) & hoc Matri Dei congruum vocabulum) *magna est velut mare contritio tua, quis meditabitur tibi?* Certè velut Mare contritio ex aliquot proprietatibus, Mare est suprà terram, tuus Mater dolor, supra Naturam terrenam, ideo insupportabilis: Mare nunquam quietum, & cor tuum abq; requie in passione Filij ad omnes ictus dilecti: Corpus tuum & cor vulneratum est, post mortem autem Domini crudelis lancea; quæ ipsius aperuit latus, non attigit eius Animam, tuam vtiq; pertransiuit, nam Filij Anima non erat in corpore, verum tua inde auelli non potuit. Tuam ergo verè pertransiuit vis doloris, vt plus quàm Martyrem totus prædicet

mundus, in qua nimirum corporeæ Passionis excesserat compassionis affectus. Mare salsum semper, & tua dulcedo omnis Virgo, tum euanuerat, nec *Filius* in Passione, nec tu vlla consolatione impleta fuisti, & quod magis est, ipse filius abstulit à te leuamen solatij, cum tibi Ioannem pro se seruum pro Domino Discipulum prò Magistro, *Filium* Zebedei pro Filio DEI, purum hominem pro vero DEO, traderet. O commutationem acerbam ! Mare liquidum, & tua Anima liquefacta est, & resoluta est in languorem & pluuiã luminum dum teneres mortuum IESVM considerando vulnera singula, præcipuè quinque illa, commiscebas tuas lachrymas cum eius sanguine. Puto Patrem Cœlestem, post illud sacrificium oblatum in Cruce, quando sanguis & aqua aperto erupit latere, non aliud carius habu-

habuisse quam guttas Matris, cum cruore filij copulatas. Mare omnibus ventis expositum, & tu Mater omnibus calamitatib9 inuoluta eras: noui enim cruciatus filij, nouo genere Martyrij te affiligebant. In mare deniq; omnia flumina se exonerant, & inde exeunt, ex Matris corde doloris fons primus erupit, & in omnes animas Christianas deuolutus est, & iterum omnes dolores quicunq; ex Passione Domini oriuntur, iterum ex compassione & imitatione ad Matris Dei dolores remeant, propterea fluuiorum aqua est dulcis, maris non item, nam nostræ compassiones habent in se quandam dulcedinem, MARIAE nihil tale dolor admisit. Anima mea, scias MARIAM esse in hac vita Matrem dolentium, in altera Matrem gaudentiū: pete ergò humiliter ab illa, vt sicut post tot ærumnas consolatus est Filius Matrem ita

in ago-

in agone tuo vltimo, consolatores tui præsentes possent tibi adesse, CHRISTVS vt Pater, MARIA vt Mater consolationis.

CAPVT VI.

Impositio lugubris Corporis CHRISTI in monumentum.

PAtientissime IESV. Imminebat tempus sepulturæ ante diem magnum Sabbathi, omnia erant parata, vt Corpus terræ mandaretur: remorabatur MARIAE consensus, quæ diuelli citius à te etiam mortuo lugebat, certabant dolor & amor, qui superior in corde Matris tuæ fuerit, Amor non permittebat tolli è manibus Filium demortuum, dolor nimius persuadebat, vel potius cogebat, vt tum vinci amor se pateretur, & sic vis amori facta. Ablatum corpus & sepultum, Ceremonia hæc describitur à quatuor Euangelistis. Fuisse

hortum, & in horto monumentum nouum ex petra, in quo nondum quisquam positus fuerat; Et vltimò aduolutum est saxum ad ostium monumenti. Nihil frustrà à Deo factum circa Corporis sepulturam. Non immeritò, in horto & captus & sepultus est Dominus vt è captiuitate Diabolica, quâ comprehensus fuerat Parens omnium in horto voluptatis, eum educeret, & iram Patris æterni, ob excessum Adami, misericordiâ & obliuione sepeliret, subitò enim post peccatum primorum Parentum amiserant possessionem iucundã Paradisi, accessus ab Angelo amplius prohibitus fuerat, & furore Diuino quasi sepultus locus; Christvs ergò ad similitudinem, tegens virtutem Diuinitatis suæ, eodem modo quasi eludens, vel potiùs compensans, præuaricationem illorum, horti locum elegit, vt & caperetur &

ſepulchro includeretur. Monu-
mentum nouũ verò rectè & pro-
priè appellatum, quia nouus ho-
mo in mundo apparuit. Quidni
nouus, qui ſimul homo & DEVS,
nouum itaq; debebatur ei ſepul-
chrum, & ideò noua res ſucceſ-
ſit, nam ex aliis ſepulchris, non
tam citò reſurgunt corpora, &
quod magis Propheta vocat, ſe-
pulchra hominum *domus eorum in
æternum.* Deploranda erat miſe-
ria mortalium, cùm è mundo ad
ſepulchrum properantes, ſub in-
tolerabili iugo Dæmonis manci-
pati gemerent, qui velut Princeps
mundi huius abſolutus, liberè in
illo carcere ſubterraneo detine-
bat vinctos, & Tyrrannide deten-
tionis gloriabatur, morte tanquã
inſtrumento vſus, quo corpora
omnium ſublata, in cauerna ter-
ræ, ſub eius cuſtodia aſſeruaren-
tur. Ecce nouum ſepulchrum,
ex quo tertiâ die Corpus CHRISTI
quod erat mortuum reſurrexit,
 pro-

propriumq; & aliena sepulchra, vi aperuit Diuina, nec quidquā reclamantibus, & frementibus reprobis Angelis: Nouum omnino sepulchrum. Antiqua enim sepulchra, vel ad lymbum, vt in tenebris manerent, vel ad infernum vt perpetuo sine morte cremarentur, miserabiles remittebant Animas, hoc nouum sepulchrum ad cœlum & corpus & animam CHRISTI breui transmisit. Idem fecit sepulchrum Matris DEI, Patrum è limbo animæ, Sanctorum quæ iam requiescunt in gloria, & post consummationem sæculi omnium electorum cum corporibus emittent ad æternam beatitudinem animas: Nouum sepulchrum, tanquam fundamentum, & arbor scientiæ boni & mali, in hoc altero horto plantata, ex cuius radice protensi sunt rami ascendentes vsq; ad cælum, imò ornantes ipsum cælum. Et ideò Saluator dixerat: *Nisi granum*

num frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Cecidit in terram granum nobilissimum, & sub terram in monumentum, multum attulit & adfert fructum: *Quem dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus.* Ergò radix fœcundissima monumentum CHRISTI. Nouum sepulchrum, cui enim fuit dictum antea: *Et erit sepulchrum eius gloriosum!* Verissimè itaq; nouum. Additur de Petra fuisse, si enim ipse CHRISTVS petra, Ergò & sepulchrum petra, & Ecclesia supra petram fundata, è terra omnia ædificia fundamenta accipiunt, & quò durius fundamentum, eò fortior structura. E sepulchro initium factum nouæ applicationis meritorum Passionis CHRISTI: cùm enim in eo esset corpus, animæ Patrum è limbo extractæ, Diabolus debellatus & alligatus, resurrectio mul-

Ioan. 12. v 24.

Apoc. 7, v 9.

Isaiæ. 11. v. 10.

torum visa, Latro Paradisum ingressus. Sequitur neminem positum in sepulchro hoc antea. Sic decuit, vt solus DEVS corpore suo illustraret monumentum. Et gloria eius per totum diuulgaretur orbem. Quid autem aduolutio saxi ad monumentum significat? vt videlicet maior potentia ostenderetur DEI, quàm sugillare posset audacia Iudaica. Si tam magnus lapis non esset appositus, putassent fortè facilè aperiri potuisse sepulchrum, vel vt omnia impedimenta etiam incredibilia remouenda esse doceret Saluator, ad credendam certâ fide resurrectionem. Anima inspice internis oculis sepulchrũ, hoc admirandum, & pulses oratione, vt te è miserabili sepulchro educat CHRISTVS, nunc vitiorum, postea pœnarum, & concedat gloriam, quam præparauit electis, morte & sepulturâ suâ.

CAPVT VII.

Seductor appellatus CHRISTVS post mortem.

PAtientissime IESV. Dum in sepulchro Corpus tuum fuerat ad tempus occultatum, quid iam Iudęi vltra facere poterunt. cessaruntnē tandem ab iniuria? Non. In corpore exercêre vlteriorem carnificinam nō poterant. Ergò honorem post mortem, fedâ blasphemiâ mordent, cùm enim venissent ad Pilatum, dixerunt: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, post tres dies resurgam.* Ecce insipientiam illorum expendendum est spirituali interpretatione, Cur permiserit Cœlum, vt etiam post mortem Saluatori, seductoris nomen imponeretur? Factum secundum aliquorum sententiam, in consolationem seruorum suorū, qui

Matt. 27. v. 63.

qui variis nominibus, à verita-
te alienis appellantur, si quis
libros Hæreticorum inspiciat,
leget quomodo summum Ponti-
ficem, Episcopi, Sacerdotes,
Relligiosos cognominent. Ac
suauè & iucundum est compara-
ri hac in parte cum Redemptore
& eodem nomine vocari. Vel
vt malitia Iudaica ostenderetur
quæ nec obitu, nec sepultura
Domini extingui poterat. Talis
planè vindictæ Diabolicæ rabi-
es cum incipit, nec morte ledari
patitur. Vel, vt ostenderet Do-
minus famam in hoc mundo e-
tiam posthumam contemnen-
dam, illam æternam potius pro-
curandam, Contrarium hic in
terris agitur. Quid enim non fit,
vt honor & memoria post fata
Psal. celebretur? Colligitur ex illo
48. Psalmo: *Tabernacula eorum à pro-*
v. 12. *genie & progenie, vocauerunt nomi-*
Psal. *na sua in terris suis*, verum sequitur
48 ibidem: *Ne timueris cum Diues fa-*
v. 17. *ctus fu-*

ctus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neq; deſcendet cum eo gloria eius : vbi ſunt tot Imperatores, & qui orbem debellarunt ? Parum in *Hyſtorijs* ſpargitur, & hoc à quot mortalibus ignoratur? Contra, contemptores mundi extolluntur laudibus, Tota canit Eccleſia de Apoſtolis : *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro Nomine* IESV *contumeliam pati* : Ante oculos Sancti habebant hoc conuitium Saluatoris, quod, *Seductoris* nomine vocaretur, omnibus modis imitari voluerunt, & detractoriè appellari, & male tractari, & morte condemnari ; Sicut enim impij gloriantur in rebus peſſimis, & cum male fecerint exultent, ita Sancti cum innocenter & indignis vocibus appellarentur, reliq; aſperas, & tormenta paterentur, triumphabant ; Quid

Acto. 5. v. 41.

Quid interiùs Saluator operabatur, cum Seductor à Iudæis putaretur? E limbo eduxerat Patres qui clamabant: *Aduenisti desiderabilis*: Sathanam in fugam vertit, qui se victum deplorabat. Vel quod oculi mundani, illos pro pessimis reputant, quos cælum optimos calculo absque errore declarat, quam enim erroneum iudicium mundi Dominum ac DEVM existimare fuisse Seductorem? Ideò dixerat Sal-
Ioan 16. v. 20. uator: *Iam Princeps huius mundi iudicatus est*: scilicet pro Falso, pro Impostore, pro Detractore, pro Bonorum Persecutore: Aliud ergo est Iudicium Mundi aliud Cæli: quæ iudicia adeò diuersa sunt, vt album & nigrum, bonum & malum, Cælum & Infernus; CHRISTVS in mundo existens, innocentissimam vitam tanquam ipsa innocentia duxit, Ægros sanauit, mortuos ad vitam reuocauit, tot beneficia
con-

contulit, insuper pro mundo mortuus est. Audias Anima de illo Iudicium Mundi & Iudicium Dei, Illius, nunc, *vorax, potator vini, nunc peccator, nũc in Belzebub eijcit Dæmonia*, nunc ad extremum *seductor* fuisse publicatur: Huius, *Hic est Filius meus dilectus. Ego hodie genui te. Sic* Devs *dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, facilè est discernere veritatẽ. Vel ideo seductor vocatus, vt Iudaica obstinatio omnimodè resisteret veritati, Dñus dixerat de se: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ioan. 14. v 6.
Iudæi responderũt: Non es via, quia nos legem Moysi habemus, hæc est via nostra: Non es vita, quia in cruce mortuus es: Non es veritas, quia seduxisti commouendo populum. Omnia prorsus falsa. Sed quàm stupida ratio Iudæorum, seductorem ideò appellarunt Dominum, quia dixit: *Post tres dies resurgam.* Mat. 27. v. 62.
Anticipant criminatione factum, expe-

pectetur tertia dies, & tum si non resurget, audebis Iudææ seductorem nominare, quid enim ad seductionem Resurrectio? Imò quia cum multi non credidissent Resurrectionem, seduxerunt animas suas. Contrarium ergo existimandum. Propterea non fuit seductor, quia & Resurrexit tertiâ die, & triumphat Christus, de ingratitudine tua gens approbata. Anima non cures gloriam mundi, etiamsi tibi & tuo nomini iniuria fiat, gaude potius si aliquid innocenter in fama læsa pateris, humiliter orando Dominum, nè in agone verus seductor infernalis tentationibus suis te seducat, sed ille educat è carcere corporis, qui dum pro seductore haberetur, animas Patrum è Limbo in Paradisum transtulit, & paulò post introduxit.

CAPVT VIII.

Ad Sepulchrum CHRISTI, militum adhibita custodia.

PAtientissime IESV. Vltimum quod poterant adhuc tibi Iudæi inferre pro custodia ad sepulchrum apponenda Pilatum rogant, ita ponit Euangelista: *Iube custodiri sepulchrum, vsq; in diem tertium, ne forte veniant Discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis. Et erit nouissimus error peior priore: Ait illis Pilatus, Habetis custodiam, ite custodite sicut scitis: illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.* Series proposita rei, paulisper admirandum factum, & circumstantia: maximè verò insania Iudæorum. Viderant signa multa, quæ Saluator viuens fecerat, non ignorabant verba illius haud fuisse vana sed certa, audierant illum dicentem,

Mat. 27. v 64.

se resurrecturum die tertiâ, quid ergò cum iam Dominum interfecissent faciunt, instinctu inferni conspirant, vt Resurrectionem impedirent: timebant enim ne verba CHRISTI effectu comprobarentur: & tamen credebant ex parte. Ergo custodia necessaria fuit, & signatio lapidis; Prætendebant quidem causam, quasi Discipuli eius furarentur: non illa erat: sciebant hos præ timore dissipatos & dispersos fugisse, de vi forte verebantur ne aliqua inferretur, itaq; potentiæ, obstaculum custodiæ ponunt. Vere defecerunt in scrutationibus & consilijs suis, non est fortitudo contra cæli Dominum Aliquot ergo causæ reperiri possunt, cur adhibita sit custodia militum ad sepulchrum CHRISTI. Vel, vt nescientes etiam assistentiam monumento CHRISTI præberent, & venerationem, quandam Maiestatis custodiâ illâ declararent:

Vel,

Vel, vtriq; qui de Passione læta- bantur, in Resurrectione Domini confunderentur. Milites tormentis & plagis Saluatorem affecerant, & Iudæi illorum instrumento cruci affixerunt, illorum spolijs vestes CHRISTI cesserunt. & ideo S. Ioannes dicit: *Et milites quidem hæc fecerunt*, oportuit itaq; resurgendo Dominum illos pauore & horrore implere. Vel, ob diuulgationem Resurrectionis CHRISTI maiorem per custodes appositos, licet enim datâ pecuniâ Iudæi corrumpere nitebantur milites, quasi ipsis dormientibus corpus fuerit ablatum à Discipulis, cum nihil sit occultum quod non reueletur, toti mundo, cognita erat potentia Saluatoris, qui sua vi reserauit sepulchrum & viuus resurrexit. Vel, vt ostenderetur nullam custodiam huius mundi suam habere securitatem, nisi cooperante DEO. Hoc notauit Dauid:

Psal dum ait. *Nisi Dominus custodierit*
126 *Ciuitatem, frustra vigilat qui custodit*
v. 1. *eam vanum est vobis ante lucem surge-*
re. Certè surrexerunt custodes
sepulchri in vanum ante lucem,
fugerunt præ horrore, terræ mo-
tus, & lux splendida eos terruit,
& in fugam vertit. Vel, vt ipso-
rum Iudæorum dictum appro-
baret, id est: *Erit nouissimus error*
peior priore. Errauerunt, locuti
sunt falsa, per falsos testes con-
tra Dominum vltimo errore de-
cepti, nec dimittere è sepulchro
corpus reconditum volebant,
ipsa re confusi, Resurrectio enim
CHRISTI falsitatem eorum vni-
uerso aperuit mundo. Quæren-
dum adhuc, cur lapidem signa-
runt & munierunt sepulchrum?
Debile signum Iudæorum cera.
Psal. optimè dixerat Rex: *Sicut fluit*
67. *cera à facie ignis, sic pereant pecca-*
v. 3. *tores a facie Dei.* Ignis cœlestis
hanc ceram liquefecit, & muni-
tionem sepulchri, tanquam po-
tens

tens instrumentum disiecit, peccatores verò à facie Dei perierunt, in æternam gehennam detrusi. Non reueretur cœlum sigilla terræ destruere, at è contrario, terra non audet mouere quod signatum est à cœlo, imo stupet & admiratur Stigmata S. Francisci, & S. Catharinæ Seneñ, mundus narrat & credit, & veneratur: Iudæi signarunt Domini sepulchrum, quod tertiâ die euanuit, verùm ipsi non sunt signati à Deo, neq; erunt inter illos signatos, quos S. Ioannes in Apocal: vidit, illis enim verbis, quibus clamarunt in passione: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: deleta fuit signatura, & tantum centum quadraginta millia, ex Gente Hæbrea tota, signati erunt calculo prædestinationis. Anima detestare Iudæos, & eorum in Christum in credulitatem, & quia de sepulchro Domini tua meditatio, sci-

Matt. 27. v.25.

o, scias corpus tuum esse sepulchrum, in quo viuendo delitescis custodia tibi parata à Deo, sigillata & munita, cereo iubeo sanguinis eius, habes custodē Angelum ad latus destinatum, & sicut infernus etiam ad sepulchrum Christi dedit custodes milites, sic ille idem spiritus malos, vt tuam à peccatis impedirent resurrectionem: non timeas: potentior est Devs: Custodit omnia ossa Sanctorum, vnum ex his non conteretur sine permissione Diuina, signauit te Creator
Psal. 4. v. 7. vt Propheta profert: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, muniuit te Devs teste eodem:
Psal. 124. v. 1. *Qui confidunt in Domino sicut mons Syon non commouebitur, montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu Populi sui*: Quod monumentum stabilius, quam ipse Devs? Roga ergo Anima, vt te Devs custodiat, & muniat, & in ergastulo corporis, & in eductione ex illo.
CA-

CAPVT IX,

Reditus Domum mœstæ MARIÆ, in qua spes firma mansit de Resurrectione Filij.

PAtientissime IESV. Cùm omnia circa passionem tuam expleta essent, & sepulchrum vallatum custodiâ, MARIA Mater tua, quæ hucusq; anxio corde lugebat te cor suum, incepit redire domum cum S. Ioanne, quẽ in filium (licet cum dolore talis mutatio acciderat) à te vel potius loco tui receperat: Quanta mentis MARIAE tunc afflictio! Si enim ante in vita verba dilecti Filij sui conseruabat conferens in corde suo, quid iam verbera non conseruauit? nulla prorsus consolatio? Illa sola (si ita nominari poterit) quod in corde eius altera sepultura Corporis Filij fuerat. Primo ergo in abitu

è monte Caluariæ, valedixerat cruci Domina nostra, oculisq; ac lachrymis conspersit, partim deplorando tam acerbum instrumentum passionis Filij sui, partim gratias agendo, quod iam redemptio per illius sanguinem consummata erat, partim futura prouidendo, in quanto honore hæc Crux in toto mundo celebrari debebat, quæ Encomia tunc dabat Cruci? si Ecclesia canit: *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera.* Quæ vox illius? postea loca conspersa cruore Domini circumibat. Et tu Anima sequere ambulantem & dolentem Matrem, Quid existimas arida: quando recens & crudele, factum circa DEVM & Filium suum, & contemplatione recolebat, & oculis reliquias sanguinis, & loca conspersa eadem lustrabat desolata Mater? Vulnus non sanatum, aut iterum apertum quanto dolore sentitur?

Non

Non sanatum vulnus fuerat in corde MARIAE, à gladio animam transfigente iterum aperiebatur acumen illius, dum in vestigiis passi Filij figit pedes. Verè fasciculum Myrrhæ inter vbera toto illo tempore portabat omnes dolores nati, in Epitome, ac vnam massam contrahendo. Erat ipsa vera effigies & prototypon, in quo tanquam in imagine expressa fuit idea viua omnium plagarum Filij. Erat diluuium aquarum, quod non poterat minuere vlla consolatio; Erat ignis, quem non valebat extinguere mare mæroris: ardebat in illa continuus dolor, sicut rubus ardens, & incombustus: nec ipsa mors, licet potens, audebat extinguere ardorem. Itaque non discessit Mater è loco supplicij, donec omnia verba Domini in Cruce prolata trutinasset, & suspirijs masticasset, Irrisiones Iudæorum deplorasset, clauorum tun-

tunsiones, & apertiones quinq; vulnerum, planctu in memoriam reuocasset, terram in quam sanguis tanquam è quinq; fontibus scaturiebat & defluebat, millies osculata. In descensu montis sæpius vultum in montem & sepulchrum Filij retorquebat, præ angustia in stuporem & lamenta resoluta. Viam autem Filij ingressa, qua è ciuitate cum cruce ad Crucem pergebat, velut altera Veronica. Vultum sputis & plagis deformatum in corde sibi depinxit. Casus in terram præ pondere ligni insculpsit animo; Columnam illam cruore recenti madefactam Domini, quibus oculis inspexit? Scalas per quas ad Pilatum iudicandus ascendit, qua fronte ad adspectum suum admisit? vbi Pilatus ostenso
Ioan CHRISTO, dixerat: *Ecce Homo*;
19. quomodo auribus suis intende-
℣.5. bat, intonando sibi quasi iterum Præses protulisset hæc verba: &
mœ-

mærore animi interim deficie-
bat! Domum Caiphæ præteri-
ens, in qua nox illa funesta transa-
acta, prę lachrymis oculos clau-
debat; Iudam adhuc pendentē
in patibulo aspiciendo, occulta
Dei iudicia tacita admirabat. Pe-
tri negationem deplorabat, &
fletum illius proprio adiuuabat,
Annæ Palatium visui se porri-
gens, alapam in illo crudeliter
Domino inflictam, afflictæ im-
ponebat memoriæ. Cænaculum
occurrens in via, in quo institu-
tio Sacramenti, ac testamenti ob-
signatio facta, ac vltimum vale
Discipulis datum, cor illius li-
quefaciebat; Tandem intrauit
propriam Domum Mater, sine
esu & potu plangendo diem
consumens, verè exclamabat cū
gemitu, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ* Psal.
panes die ac nocte, dum dicitur mihi 41.
quotidie, vbi est Devs *tuus*, imò & v. 5.
filius tuus? Verùm ipsa sibi re-
spondit, spe solida resurrectio-
nem

nem expectando. Nunc quidem est in sepulchro & latet, die autem tertia resurget, & dominabitur vniuersæ terræ. In Maria sola vt cum S. Bernardo loquamur triduo illo fides Ecclesiæ stabat, In Maria die mogno Sabbati Ecclesiæ spes tanquam in columna ferrea & immobili innitebatur, & ideo hæc dies in gratitudinem illi ab Ecclesia dedicata. Tu Anima vti meditatione comitata es Matrem Dei & tuam in via dolorosa, sic roga vt per eius merita & passionem filij, expectes spe certâ resurrectionem inter electos tuam, cum
Psal. 4. v. 19. Maria & Dauide repetens: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me,*



CAPVT X.

Mulierum ad Monumentum lamentatio, & ad idem faciendum omnium Animarum inuitatio.

PAtientissime IESV; Ad sepulchrum relictæ Sanctæ mulieres, vt quæ deuotione & lachrymis prosecutæ sunt tuam Passionem, etiam concluso in sepulchro, volebant fortè fletu emollire lapidem, cupiebantque vt ceram liquefacere singultu, cogitantes an illis monumentum aperiri possit. Tria ab illis facta ab Euangelista describuntur. Quod viderint monumentum & quemadmodum positum fuerat corpus Domini. Deindè reuertentes domum parauerant vnguenta & aromata, vt vngerent.

rent illud. Tandem dum redirent ad sepulchrum, dicebant ad
Mar. 16 v. 3. inuicem: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Qualibus oculis intuebantur Sanctæ illæ Matronæ, corpus totum purpuratum & dilaceratum, & ipsum etiam monumentum cui congratulabantur, quod tantum thesaurum in se contineret, benedicebant loco tam sancto, hortū illum hortum deliciarum vocabant, ac interim spargebant vberrime lachrymarum flumina, repræsentantes & colloquentes de Hystoria acerbissimæ Passionis eius. Si enim duorum ad Emaus peregrinantium, dum loquerentur, quæ erant facta diebus illis Hierosolymis, ardens erat cor, quomodo non ardebat mulierum, quæ de doloribus ex amore Christi procedentibus, sermonem conferebant. Ibi licet incredulitas, tamen ardere

fecit

fecit cor Discipulorum; Hîc maxima fides (nam spectatores erant Tragediæ) incendium excitauit amoris, quod pro salute humana Devs passus fuerit. Tota dies & nox in lamentationibus & suspirijs vigilabat; alternata amoris & doloris somnum excutiebat. Notarunt diligenter illæ beatæ mulieres, quomodo venerabile Corpus posuerãt depositores, partim vt amori, in impositione sepulchri satis facerent, partim vt vnguentis & aromatibus allatis scirent, vbi illud quærerent. Reuertuntur ergò mœstæ in domos suas, at non otiantur; vnguenta emunt, non parcunt sumptui, parant & aptant magnâ curâ aromata, vt illis quàm odoriferis illinire possent Corpus Domini. Sed posset vos beatæ Fœminæ aliquis parum prudentes existimare: vltimò enim de reuoluendo lapide

pide cogitatis? Ad quid vnguenta: si lapis & quod magis sigillatus, non permittet vobis introitum in Monumentum? Nec custodes tam humani erunt, vt vobis liberum ingressum concedant! Imò summa prudentia & amor considerandus mulierum amantium ipsum amorem. Amor nihil de his rebus cogitabat, tantùm vt expleant pium desiderium, reliquum Deo commissum. Nam etiamsi euntes ad sepulchrum, tum primùm de reuoluendo lapide simul consultarent, pergebant tamen confidenter, ruminando verba Prophetæ: *In Deo*
Psal. 7 v. 30 *meo transgrediar murum.* Nec fefellit illas spes. Inuenerunt remotum lapidem, verùm non inuento Corpore, vnguenta quæ pro vngendo parata erant, integre remanserunt. Et te mea Anima, & omnes fideles inuitant

stant hæ piæ mulieres ad idem faciendum. Certe plorabis, si oculis internis inspicies monumentum, quomodo pro te DEVS & mortuus & sepultus est, illudq; Corpus plagis tumidum, ac pro te tantopere deformatum videbis; Si vnguenta emas; variè vnguentum accipi potest, vel pro Eleemosina, si pauperem vnges, inopiam eius subleuando, vnctio enim est mentis exhilaratio, & exultatio, Pauperis ergo hic lætitia, sed tua in altera vita cum gaudio remuneratio; vel pro vita exemplari, vngit etenim CHRISTVM, qui bonus odor eius est, in omni loco, Aërem replet optimo odore, id est fama apud homines, quælibet anima, vitam ducendo immaculatam. Vel pro compassione, vel potius castigatione corporis. Nam sicut vnguentum diffusum, odorem maio-

rem in circumstantes emittit, eorumq; sensus recreat, ita mortificatio affectuum, & ipsius corporis, ad cœlum vsq; ascendit, & sanctam illam Ciuitatem lætificat. Ideò vnguenta remanserant integra, ex quibus Mater Dei, & Apostoli, & omnes Sancti depromunt odorem, & ex passione Christi, tanquam ex nobilissimo vnguento odor myrrhæus, dolor videlicet & compassio in totum mundum & cœlum defluit. Hoc tu assiduè fac Anima, occupa te circa Passionis & vulnerum Christi memoriam, ex gemitibus & lacrhymis tuis odor suauissimus enascetur, nec cogites de lapide, & obstaculo piorum desideriorũ, iacta cogitatum tuum in Dominum, remouebit ipse etiam à te saxea impedimenta, facietq; si nunc flebis, vt cum mulieribus uidere possis visionem in agonia

nia consolatoriam Angelorum, & consortio illorum in æternum frui.

CAPVT XI.

ET VLTIMVM.

Gratiarum Actio pro Passione CHRISTO Domino.

PAtientissime IESV. Quales gratiarum actiones reddet tibi omnis Anima pro Passione tua? Estnè possibile vt inueniatur creatura, quæ dignè possit recolere memoriam acerbissimarum plagarum tuarum tantò minùs indignam exhibere gratitudinem? si vna gutta pretiosi Sanguinis tui totius mundi maculas facillimè delere potuisset, quæ Anima etiamsi absq; macula ess-

la esset tam copiosè effusi pre-
tium extollere præsumeret? Er-
gonè tacendum. Non; si enim
tu Domine lachrymas pœniten-
tiæ in satisfactionem recipis,
quomodo laudes & amorem ta-
lem qualem gratitudinis debitæ
pro tua passione respues? Su-
mendum itaq; aliquid ex Daui-
de, & examinanda verba quæ
tantæ inseruiunt potissimum
Psal. materiæ. *Quid retribuam Domino*
115. *pro omnibus quæ retribuit mihi? Ca-*
v. 3. *licem salutaris accipiam, & nomen*
Domini inuocabo, vota mea Domino
reddam coram omni populo eius. In
ingressu Passionis tuæ in hor-
tum, statim tibi calix à Deo Pa-
tre per Angelum fuit præsenta-
tus, terruit te quidem, & mœ-
stum fecit, & vt homo, petieras
Patrem, vt à te transiret, tamen
voluntati eius in omnibus pa-
rendo, & accepisti & ebibisti.
Hunc itaq; calicem, qui verè fu-
it Sa-

it Salutaris nobis, omnes mortales accipere debent. Et si ad eius similitudinem offertur calix amaritudinis à Redemptore, non tantùm salutandus, non tantùm non reijciendus, sed etiã toto affectu accipiendus, re ipsa & cum gratiarum actione dicendo cum S. Iob: *Si bona a Domino suscepimus, mala autē quare non?* Iob. 2. v. 10.
accipiendus dico, quoadusque ipse Devs exonerauerit hoc calice, non deponendus ante, potiùs exclamandum: *Hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.* Vel, Aug.
Bene omnia fecit Saluator noster, qui calicem totum exhausit, & nos quare tantillum non gustabimus? Summa gratiarum actio pro Christi Passione ostenditur. Si quis læto vultu partem calicis Domini ebiberit, & congratulabitur sibi, de compassione, ideò additur à Propheta: Psal. 115. v. 4.
Nomen Domini inuocabo. Exultare
oppor

oportet in tribulatione, & prædicare Diuinam bonitatem, & tunc verè calix Domini accipitur, non tantùm accipiendus, ſed etiam inſpiciendus eſt calix CHRISTI, in quo videbuntur alapæ, ſputa, fuſtes, Columna cum diuerſi generis carnificum inſtrumentis, Corona ſpinea, claui, Crux, lancea, veſtes ſanguine perfuſæ, Corpus totũ, quaſi vno grandi vulnere affectum, præcipuè quinque plagæ rubeo colore eminentes, & ſtatim ratiocinandum eſt, ſi DEVS noſter propter meam ſalutem, ex infinito amore tanta paſſus, quid nobis non faciendum, & propter noſtram ipſam ſalutem, & propter illum, qui pro nobis tam atrocem ſumpſerat calicem! vt verò quinque vulneribus correſpondeamus, offeramus corpora noſtra, ad manus dextræ vulnus applicando, vt qui nos cre-

auit suâ dexterâ, recreet, ac creet in nobis cor mundum: fortunas nostras ac bona temporalia sinistræ manui tradamus, pro gloria eius distribuere omnia parati, vt in æternum sinistram Inferni meritò passionis euadamus, Vires corporis dextro pedi subdere libenter velimus, vt in via mandatorum Dei fortiter currentes brauium supernum apprehendere valeamus hæreditatis: Animæ dotes sinistro pedi aduoluamus, vt imminentia mala sempiterna, prudentiâ euitemus, admonitioneq; exitij extremi tandem desinamus fugientem insequi, pereuntemq; diligere mundum: Ipsam deniq; totam Animam nostram in apertum latus CHRISTI immitamus, vt illa defixa tota in passione Domini ac suauitate deliciarum spiritualium impinguata, repellat à se motus carnales, interimens-

mentes vigorem virtutum, deli-
catissimoq; liquore è calice eius
stillante recreata, omnes sæculi
illecebras, ac voluptates con-
temnat sepeliatq;. Ad te me
conuerto Anima mea, optando
vt calicem Domini in manu te-
neas, presertim cum tibi ille tam
liberaliter propinat, at secun-
dum S. Bernardum: Tres sunt
calices Saluatoris, quos tibi pro-
ponit pænitentiæ & doloris, qui
est plenus mixto, patientiæ &
laboris, quem ipse bibit IESVS;
beneuolentiæ & amoris, qui est
inebrians & præclarus; Pri-
mum calicem libenter accipe &
exerce te in illo. Pro Secundo
gratias age, & admirare in illo,
Tertium exopta, & gloriare in il-
Psal. 22. lo, repetendo verba Psalmistæ:
v.5. *Calix meus inebrians quam præclarus*
Ibid. *est*: Quare? *Quia misericordia eius*
v.6. *subsequetur me omnibus diebus vitæ*
Ibid. *meæ*: Quis fructus? *Vt inhabi-*
tem

tem in Domo Domini in longitudinem dierum. Et hoc quando fiet, tunc tu & omnis Anima : *Vota reddet Domino coram omni populo eius* : id est coram Cœlo & terra, tanquam spectalum facta, DEO, Angelis, & hominibus. Iam verò in hac vita, cælo suspiria mitte, Angelis lachrimas offeras, hominibus exemplum compunctionis commonices. Finiendo considerationem passionis CHRISTI toto corpore terræ allisa Anima mea, extolle & infinitas omni momento age gratias, pro incomprehensa charitate Redemptori demissè obtestando, nē calix tibi in vltimo agone decertanti propinetur, ex quo bibunt in æternum peccatores terræ, verùm calix salutis sempiternæ à Clementissimo Domino offeratur, vt torrente voluptatis possis in omni felici inebriari æternitate, & cum Iubilo

Psal. 115. v. 5.

Dan decantare: *Benedicite omnia opera*
3 v. *Domini Domino, Laudate & super*
57. *exaltate eum in sæcula*: Cui
honor & gloria ab æter-
no & in æternum.

A M E N.



Cum Licentia Superiorum.

VARSAVIÆ,

In Officina PETRI ELERT

S. R. M. Typographi.

A. D. 1645.



